LIBRARY 16 S 14
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

STVDIA PROSODIACA
AD VETERES POETAS SCAENICOS LATINOS SPECTANTIA

DISSERTATIO

QVAM AD VENIAM LEGENDI

IN

VNIVERSITATE PHILIPPINA MARPVRGENSI

A PHILOSOPHORVM ORDINE IMPETRANDAM

SCRIPSIT

GVNTHERVS IACHMANN

MARPVRGI CHATTORVM

MCMXII

GERTRAVDAE DE SCHICHAV

E GENTE IACHMANN

GRATO ANIMO

AVCTOR

Pergrandem fructum linguae Latinae studium inde percepit quod diligenter homines docti observarunt quemadmodum veteres poetae scaenici linguae huius quasi materiem versibus complexi in formam quandam redegerint. Qua inita ratione C. F. G. Muellerus eo pervenit ut scaenicorum sermonis proprietates quasdam, quae ab omni arte longe discedere videbantur, ad normam certam revocaret. Qua via etiam longius progrediendum esse videtur. Nam Muelleri illa de correptione iambica quam vocant lex, quamvis sit prosodiae Plautinae Terentianaeque tamquam fundamentum, ita ut ea demum perspecta scaenici versus non iam rudes et horridi, sed vel maxime politi videantur atque compti, quam late pateat nondum satis exploratum est Et R. Klotzius quidem (Grundzüge altrömischer Metrik p. 55) 'eine nähere Betrachtung, inquit, der Versstellen, wo sich solche Verkürzungen finden, ergibt, dass dies metrische Kürzungsgesetz in sämtlichen auflösbaren Hebungen ohne jede Ausnahme wirksam ist' — quae num omni ex parte recte dicta sint valde dubito. Quosdam certe versuum locos qui refragentur indagasse mihi videor. Exitus enim versuum perlustrantem non me fugit correptionem iambicam a paenultima versuum iambicorum trochaicorumque arsi vel omnino alienam esse vel certe angustissimis in hac versus sede finibus esse circumscriptam. Qua de re iam videamus singula, praetermissis tamen 'septenariis' iambicis calalecticis, — non quin regula illa teneantur, sed dicat quis correptionem iambicam a sexta horum versuum arsi propterea exulare quod locum ibi habere vix potuerit nisi monosyllabo versum claudente, quod ne fieret satis caverint poetae ut posteriores ita prisci (cf. Guil. Meyerus act. acad. bavar. XVII 1 1884 p. 45 sqq.). Neglectis igitur septenariis in senariorum

iambicorum septenariorumque trochaicorum studium iam incumbamus, et primo quidem eos perscrutemur versus quibus lex quam observari contendimus migrata esse videatur.

Exordium sumatur a versibus quibusdam qui, dummodo versus sint, in paenultima arsi vocis quadrisyllabae secundam correptam exhibent. Cuius generis septenarius est trochaicus

Plaut. Mil. 1313 quí a matre et sorore venit? :: video :: audistin, Pálaestrio?

ubi *audistin* falsum est. Neque enim usquam in fabulis Plautinis perfecto *audistin* utitur is qui verba eodem tempore in ipsa scaena facta respicit. Immo, ut nec dicit '*quid ego ex te audivi?*' sed '*quid ego ex te audio?*', ita '*audin?*' non '*audistin?*'. Perfectum enim '*audivistin*' non ad ea refertur quae tunc ipsum ad aures eius qui quaerit et eius ex quo quaeritur fiunt, sed ad res ampliore temporis spatio remotas, velut Amph. 748

audivistin tu me narrare haec hodie? :: ubi ego audiverim?

vel Aul. 538

nimium libenter edi sermonem tuum.

:: an audivisti? :: usque a principio omnia.

Suo igitur iure Guietus in illo Militis versu *audin, Palaestrio* scripsit. Adiungo senarium Rud. 604

natas ex Philomela atque ex Progne esse hírundines,

ubi de Ambrosiano constat versum breviorem fuisse. Possitne omnino verbi polysyllabi syllaba altera natura longa corripi valde dubium esse non ignoro. Quo tamen argumento nunc uti nolui, sed e re videbatur ostendere versuum illorum eam esse condicionem ut vel aliam ab causam suspicionem moveant. Sequantur ceteri.

Plaut. Capt. 62 conari desubito nos agere trágoediam

Ter. Eun. 936 quae cum amatore suo cum cenant lígurriunt,

quos qui defenderet nemo adhuc extitit.

Iam apparet ab his versibus, qui in Plauto paucissimi extant, unicus in Terentio, nullus in ceterorum poetarum scaenicorum relliquiis, stricte seiungendum esse numerum haud ita parvum eorum versuum quorum in fine extant verba quae sunt *diutius diutinus calefacit videlicet* creticum exaequantia. Qui versus quomodo explicandi sint infra videbimus, nunc ad alios advertamus animum.

Crebri enim occurrunt versus quorum arsin paenultimam verba explent quae sunt *bene* (Plaut. Truc. 441 al.), *male* (Pers. 207 al.), *nisi* (Asin. 178 al.), *quasi* (Rud. 842), *ibi* (Poen. 298 Ter. Ad. 584), *ubi* (Eun 351 et saepus apud Terentium, cf. Lucil. 882 Marx), *ego* (Plaut. Bacch. 703 al.), *mihi* (Asin. 112 al.), *tibi* (Bacch. 866 al.), *sibi* (Capt. 5 al.). Qui quem habeant explicatum non fugiet eum qui illorum verborum usum apud poetas scaenicos respexerit. Extat enim *bene* iambicum nusquam ita ut certum sit (Trag. inc. v. 255 p. 317 R.[3] *cum vota tibi bené responderint* vix recte traditum est), *male* semel: Plaut. Aul. 208, *quasi* nusquam (versus Epid. 359 initium corruptum est), *nisi* perraro: Poen. 325 Rud. 1092, in baccheis Cas. 699 Poen. 243, *ibi* haud crebrius: Naev. trag. 40 Plaut. Curc. 340 Poen. 718 Pseud. 425 Pompon. Atell. 40 (in versu anapaestico *-ī* thesin efficit Plaut. Poen. 1180), *ubī* invenitur apud Plautum fere decies, apud Terentium semel in creticis: Andr. 631, in scaenicorum fragmentis semel: Liv. Andr. trag. 18, semel vero in Terentio distributum inter arsin et thesin, iambicae igitur correptioni non obnoxium, pyrrhichium efficit:

Phorm. 827 huiúsce habendae séd *ubi* nam Getam ínvenire póssim.

Inconstans est prosodia vocis *ego*, cuius ultima apud Plautum saepius[1]) quam ullius ex vocibus illis modo commemoratis producitur, idque non solum in arsi sed etiam in thesi (Poen. 1185 Rud. 190). Sed compluriens ita collocata ut correptio iambica locum habere non possit, tamen pro pyrrhichio habetur:

Mil. 925 qui nóverit me quís *ego* sim? :: nimis lepide fabulare
1138 néminem pol video, nisi hunc quem volumus conventum :: ét *ego* vos

Curc. 104 nam ubi tú profusu's, íbi *ego* me pérvelím sepúltam[2]).

mihi tibi sibi ultima producta haud semel quovis versus loco inveniuntur, pro portione vero tam raro ut Ritschelius hanc mensuram neque in senariis neque in septenariis trochaicis tolerandam esse sibi persuaserit. Nec dubium est quin illae formae in sermone qui vigebat in ore populi pro veris pyrrhichiis

1) Amph. 601 Asin. 609 Aul. 45 al. Sed apud Terentium tantummodo ter: Andr. 258 Phorm. 877 Ad. 749 (Bemb.).

2) Addas v. Men. 279 quamvis mutilatum in codicibus.

habitae sint. Iambicae autem mensurae licentiam poetae sibi indulserunt non modo veteres scaenici sed cuiusvis aevi omnes[3]).

Itaque cum illarum vocum omnium legitima forma sit pyrrhichiaca, versus quorum arsin paenultimam explent illi quam statuimus legi repugnare non putandi sunt. At voces illae per correptionem iambicam pyrrhichiacae factae sunt ex iambicis. Certe. Sed ne dactylicos quidem poetas ideo quod earum formam pyrrhichiacam adhibuerint correptione iambica usos esse dicimus. Immo, eam adhibebant formam quae iam sola in usu erat, id quod Plautus quoque fecisse censendus est.

Idem valet de imperativis quibusdam. Quorum in numero est *cave*, qui in paenultima arsi occurrit his versibus:

Plaut. Bacch. 147 omítte, Lyde, ac cave malo. :: quid? *cáve* malo

Capt. 558 Hégio, fít quod tibi ego dixi, gliscit rabies, *cáve* tibi

Men. 931 Mil. 1335.

Forma imperativi correpta omnium poetarum communis erat[4]), producta Plautus in creticis tantum utitur (Most. 324 Pseud. 1296), Terentius nusquam. Sequitur *tace*: in paenultima arsi Plaut. Men. 416 *périisti, si intrassis intra limen* :: *quin tu táce modo* Poen. 906, iambice usurpatus nonnisi Cas. 846 *quasi lúca bos.* :: *tacé sis* et bis variato accentu *táce tacé* (Pers. 591 cf. Ter. Eun. 834)[5]). Tum *tene*: in paenultima arsi Plaut. Truc. 952 *ém tibi talentum argenti. Philippices est, téne tibi* extat, producitur bis: Pers. 413, Pseud. 1296 (in creticis). Quibus de imperativis idem sumamus quod Quintilianus inst. or. 1, 6, 21 de *have* profert:

---

3) *mihī tibī sibī* passim inveniuntur, *egō* crebrius quidem posteriore demum aetate usurpatur, cf. Birtius Erklärung des Catalepton p. 45, Buechelerus ad carm. epigr. 286, 4.

4) Cf. Serv. ad Verg. Aen. 4, 409. Thes. ling. lat. III 630, 35 sqq., ubi addas Publil. Syr. C 26 *cavĕ quícquam incipias quod paeniteat postea.*

5) *táce tacé* mensura est qualis *mágis magísque, mínus minúsque* cf. Leo Plaut. Forsch.[2] p. 299 sq. (Scripta haec erant antequam Leonis quaestiones Plautinae denuo prodierunt. Nunc ad novam editionem usque relego.) Eiusdem generis habes etiam *máne mané* Plaut. Merc. 928 Ter. Haut. 613 736 (sed *mané mane* Trag. inc. 79, *máně maně* Plaut. Aul. 655, *maně máně* Pseud. 240).

multum . . litteratus qui sine adspiratione et producta secunda syllaba salutaverit (*avere est enim*), *et calefacere dixerit potius quam quod dicimus*: ultima in sermone brevis habebatur, nec tamen olim longam eam fuisse ignorabatur. Quorum imperativorum in numero *abi* quoque habendus est. Pro ingenti mensurae quae est *abī* frequentia *abī* perraro invenitur: apud Plautum sexies (Asin. 543 Aul. 273 Capt. 452 Cist. 770 Merc. 749 Most. 583), nusquam apud Terentium. Unde minime mireris quod aliquotiens paenultimam explet arsin: Plaut. Pers. 147 *faciam équidem quae vis.* :: *bene facis . propera ábi domum* Poen. 430 Trin. 586 Ter. Andr. 978 Phorm. 563 Ad. 703[6]). Interest inter *abi* et illos imperativos supra allatos quod illi apud posterioris quoque aetatis poetas pyrrhichium, hic semper iambum facit. Cuius rei causam facile inde repetas quod contra unum *abi* multi steterint imperativi, velut *adi prodi redi exi*, qui partim spondeum efficiebant partim ultimae *i* longam ideo quod in usu erant multo minus frequenti, retinuerant. Quorum ad exemplum in *abi* longa *i* videtur esse restituta. Quod neque *mane* neque *vide* in paenultima arsi occurrit fortasse casu fit. An imperativus *iube* idoneus fuerit qui arsin illam expleret nescimus, sed fortasse iure suspicamur, quamvis nullum exstet exemplum. Alios vero imperativos, ut sunt *roga ama move adi*, ipsorum propter naturam idoneos qui hoc versus loco collocarentur non esse habitos pro certo affirmare possumus.

Praeter paucos illos imperativos iambicae verborum formae in paenultima arsi exstant nullae, ut neque *amat habet licet libet dedit*[7]) neque *amo sino* neque *vides rogas* invenias. Itaque Ritschelius exitum versus Mil. 1353 cuius in libris haec est forma

íte cito, iam ego adsequar vos: cum ero pauca eloqui

parum ex usu videtur restituisse scribens *pauca vólo loqui*, quod Leo recepit — licet concedas formam *volo* ex omnibus praesentis indicativis eam esse quam maxime illo versus loco expectaris, utpote cuius ultima saepissime corripiatur. Muellerus

---

6) Dubites de Plaut. Most. 583 *immo ábi domum, verum hercle dico, abí modo*, ubi Ritschelius scripsit *abi ábi modo*, fortasse recte.

7) Versus exitus *síet tibi*, quem Calliopii codices exhibent Ter. Eun. 240, vel aliam ob causam improbandus est.

vero (pros. p. 165) Mil. 23 senarii exitum *dábo tibi* fuisse ut crederemus non debuit suadere.

Iam ad iambicas formas nominales nos convertamus. Occurrunt autem in arsi paenultima formae vere nominales quorum ultima natura longa sit nullae — pronominum quae sunt *is meus tuus suus* formas, quippe de quorum prosodia quaestio sit, nunc neglegimus — sed unicum *modo*, quod revera non iam nomen sed adverbium est. Idque apud Plautum in arsi paenultima semel habes: Men. 75 *modo ni caditat* (verba corrupta) *léno, modo adulescens, módo senex*, quo in versu disiunctionis figurae non nihil videtur tribuendum, saepius apud Terentium:

Haut. 188 quapropter? :: quia enim incertumst etiam, quid se faciat. *módo* venit

457 nam ut ália omittam, pytissando *módo* mihi

Eun. 714 Ad. 364.

Adverbii *modo* posteriore syllaba producta positi in omnium temporum litteris Romanis perrara exstant exempla (cf. Lachmannus comment. in Lucr. p. 140). Quod autem apud Terentium saepius quam apud Plautum paenultimam efficit arsin, optime convenit cum horum poetarum vocis quae est *modo* usu ceteroquin paulo differente. Ac Plautus quidem adverbii *modo* ultimam sedecies producit (Amph. 643 Asin. 5 869 876 Aul. 239 Bacch. 638 Cas. 488 Cist. 296 Curc. 655 Epid. 340 Merc. 607 (?) 875 Most. 994 Poen. 926 Pseud. 689 Rud. 1127), Terentius semel in creticis:

Andr. 630 dénegandí *modo* quís pudor paúlum adest.

Contra legem quam in paenultima arsi observari contendimus vocis *modo* usum non pugnare non est cur moneam post ea quae de *ibi ego mihi* al. disputavi. Itaque cum formae nominales posteriore syllaba natura longa in paenultima arsi deprehendantur nullae, ne Camerarium quidem cum Friderico Leone sequemur, qui versui Men. 941 in fine corrupto

át ego te sacrám coronam súrripuisse lo (lo *om. B*) iovis eam medelam adhibuit ut *surripuisse Ióvi scio* scriberet.

Sed ne positione quidem producta syllaba posteriore voces iambicae tam multae in paenultima arsi inveniuntur ut plus iis licuisse fatendum sit. Immo, exempla quae exstant omnia aut

certe falsa aut dubia sunt. Primo loco duo versus ratione depravationis consimiles liceat afferre, alterum Plautinum alterum Terentianum. Plautinus est Rudentis 1162 sic scriptus in codicibus

pérgite, obsecro, continuo. :: placide aut ite in *málam* crucem,

Terentianus extat in Phormione 368 recensionis Calliopianae

videás te, atque illum ut narras. :: abi (i *Victorianus*) hinc in *málam* crucem,

ubi Bembinus aliud idque rectum praebet

videas te, atque illum ut narras. :: i in malám crucem.

Neque quin recte Muellerus (prosod. p. 123 adn. 1) *placide aut i in malám crucem* in Rudente scripserit dubium esse potest, cum *malám crucem* solemnis sit accentus neque ullum praeterea extet exemplum quod refragetur. Felici autem casu fit quod exitus *malám crucem* e lege de exitu diiambico Luchsiana excipitur. Ac Luchsius[8]) quidem quod ad Phormionis versum illum attinet sitne Bembini an Calliopii lectio praeferenda disceptare noluit, Wallstedtius[9]) vero Calliopianam recensionem sequendam esse censuit. Qui vir doctus quae profert contra rationem illam qua clausulam *malám crucem* ad id tempus docti soliti erant excusare quantum valeant quaerere non huius est loci[10]), sed quod pro *malám crucem* in fine versus ubi fieri possit ut *málam crucem* legamus necnon aliis locis exitum diiambicum simili modo tollamus suadet — ut ipse (stud. Plaut. p. 167 adn. 3. 168 adn. 1) senariorum tales constituit formas

his rebus sane pone | inquit *décem* minas (Ter. Phorm. 667)

neque umquam quisquam quoius ille | *áger* fuit (Pl. Trin. 553)

ibo atque testes arcessam quando *amor* iubet[11]) (Poen. 447)

— nos quidem non habebit sectatores. Immo, quod poetae qui versum binis iambis claudere quam maxime fugiebant —

---

8) Studemundi stud I p. 20

9) Från filologiska föreningen i Lund. Språkliga uppsatser III 1906 p. 196.

10) Cf. eiusdem Studia Plautina. Lunds Universitets Årsskrift. N. F. Afd. 1 Bd. 5 Nr. 3 (Lundae 1909) p. 167.

11) Hoc in versu, cuius in codicibus haec est forma

ibo atque arcessam testis, quando amor iubet,

ne de *quandoc* quidem cogitari potest cum Friderico Leone.

idque iis procul dubio saepe aliquod exhibebat negotium — exitum diiambicum ea ratione ut pro ⏑⏓⏑– facerent ⏓–⏑–, evitare noluerunt plurimum nobiscum facit; namque de paenultima arsi recte nos statuisse mirum quantum comprobat atque affirmat.

Sequatur versus Plaut. Amph. 104

nam ego vós novisse credo iam ut sit páter meus.

De quo certum iudicium non tulerim, sed usitatam verborum collocationem fuisse *méus pater* (cf. in ipsa Amphitruone 44 135 477) monuisse satis sit.

Absolutis iam nominibus iambicis perpauci afferendi sunt versus quorum in paenultima arsi bisyllabum iambicum deprehendatur. Et in iis quidem versibus qui legem de qua agimus non modo non impugnant sed confirmant tres sunt Terentiani in *ápud forum(st)* exeuntes (Ad. 154 404 512). De quibus ad Fridericum Leonem Plaut. Forsch.[2] p. 251 sq. Saturn. Vers (Act. societ. Gotting. VIII 1905) p. 31 adn. 3 relegasse sufficit.

Dubitationi locus datur in versu Afranii comici 169 (Non. p. 309, 18)

tú, Castalia, cogita, tu finge fabricare, *úti* libet.

Particulam *uti* quod ad prosodiam attinet, illis quae sunt *ubi ibi* adnumerandam esse ex Plauti Terentiique versibus vix efficias. Plautus enim saepius *utí* dimetitur, Terentius semel (Haut 870), sed ne *útĭ* quidem usquam. Quae tamen in hac voce non tantum quantum in aliis valent. Extantibus enim duabus formis, et *ut* et *uti*, poetae nimirum iambicam tum adhibebant, cum voce iambica usus veniebat. *uti* autem correptum haud ita saepe eos posuisse ea de causa quod *ut* in promptu erat par est. Plus vero quam ex scaenicorum fortasse ex dactylicorum poetarum versibus de hac re proficimus. Extat enim *sicuti* dactyli vicem apud Ennium (ann. 536 Vahl.) Lucilium 198 1029 1298 (cf. Marxii comment. p. 84) Lucretium 2, 536 3, 814 (cf. Lachmanni comment. p. 106). Ennii quidem locum Skutschius Philol. 59 p. 458 adn. 8 Γέρας (Gottingae 1903) p. 143 inter eos affert quibus Ennium in hexametris correptione iambica usum esse evincere studet. Qua in re cum non nemini persuaserit[12]), haud inutile videtur monuisse

12) Cf. Vollmerus Glotta 1, 116 adn. 1.

neque iis quae ille vir doctus de Ennio neque iis quae Stowasserus stud. Vindob. 27 p. 211 sqq. de Lucilio protulit quicquam probari. Nam Ennianorum illorum *nón enim rúmores* (ann. 371), *Glaucúmque apud Cúmas* (var. 39, cf. Lucil. 1216 *síc apud se*) quae sit ratio Leo ostendit (Plaut. Forsch.[1] p. 305 ed. alt. p. 330,2. 251) eique nos modo (supra p. 12) aliquid attulimus adiumenti. Porro si pyrrhichiacum *eques* (ann. 439) pro correptione iambica habemus — quomodo explicemus *milĕs amátur* (ann. 269)? Idem valet mutatis mutandis de *quáttuor córpora* (ann. 93): conferas Sen. Herc. Oct. 1095 *quáttuor praécipités deus* (Lachm. comm. in Lucr. p. 193). Praeterea neglexit Skutschius Ennii locum ann. 593

iámque feré quattuor partúm,

ubi, ut sibi constet, correptionem iambicam in arsi hexametri statuere cogatur (cf. Γέρας p. 147). Porro mensurae quae est *lúdicrĕ sáxa* (ann. 73) causam cur ex correptione iambica repetamus non habemus ratione habita Prisciani (I p. 350) testimoni a Vahleno allati. Denique superest versus ann. 101.

virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas,

cuius initium vel propter *nam* inversum corruptum esse Lachmanno (comm. in Lucr. p. 412) concedas[13]). Iam apparet locos illos Ennianos a Skutschio allatos ad persuadendum parum aptos esse. Stowasseriana vero ista de Lucilio prolata indigna videntur de quibus verba fiant.

Quae cum ita sint, ne *sicutĭ* quidem in Ennio Lucilio nedum in Lucretio pro vera correptione iambica haberi potest, sed sive uno verbo *sicuti* sive *sic uti* duobus scribimus, correptum fuisse *uti* necesse sit. Cuius rei fortasse etiam ex verbis quae sunt *utinam utique* testimonium petas[14]). Qui vero locis illis Ennianis Lucilianis Lucretianis *sicut* scribit cum Lachmanno, ne apud Nonium quidem in Afranii illo versu cum editione antiquissima *ut libet* scribere audaciae esse iudicabit. Qua in re quantilla sit codicum auctoritas vel ex his exemplis perspicias: in exitu versus Plaut. Trin. 1064 Palatini haec praebent: *faciam úti iubes*, Ambrosianus: *faciam út mones*, unde

13) Cf. Leo Plaut. Forsch.[2] 330, 2.

14) De *sicutĭ* ex analogia vocis *sicubĭ* correpto cogitari vix potest, cum illud hac voce longe fuerit frequentius.

faciam ut iubes fere scribunt editores; Mil. 727 de vera lectione discerni nequit:

sícut (*A*, sicuti *P*) mercis pretium statuit qui est probus agoranomus;

similiter discrepant codices Bacch. 155 Merc. 179 Epid. 550; *uti* falso praebent pro *ut* Pers. 259:

nám erus meus me Eretriam misit, domitos boves ut[i] sibi mercarer.

sicut praebent codices Plautini in versu Asin. 1

sicut tuom vis unicum guatum tibi,

sicuti Nonii p. 393, 24, — item rem se habere in Afranii illo versu fortasse sumas.

Spatium adhuc percursum cum respicimus, inter bisyllaba in paenultima arsi posita quae de hac arsi prave nos sensisse arguerent non fuisse fatendum est. Nunc ad eos ordines syllabarum arsin paenultimam efficientium quarum prior vox est monosyllaba transeamus. Talis extat versus in Plaut. Pseud. 1175 strénue mehercle iisti. :: quamvis pernix híc est homo. Exitus in Ambrosiano alius fuit, leguntur nunc *pernix homo*. Sed videamus de lectione Palatina. Nonne legem de paenultima arsi prorsus evertere videtur? Videtur quidem; sed num revera evertat quaestio est. Respiciamus fragmentum Decimi Laberii quod servavit Gellius 16, 7, 8 (v. 13. 14 p. 341 Ribb.[3]):

hic est ille gurdus quam ego me abhinc duos menses ex Africa

venientem excepisse tibi narravi.

Quae verba ut sunt tradita iambicum efficiunt octonarium quem excipit septenarius trochaicus post quintam thesin (i. in caesura) abruptus. In metro mutato quae sit offensio equidem non video, quippe qui in Terentio talia haud semel fieri cognoverim[15]). Sed aliter senserunt docti. Et Hosius quidem in Gellio suo *hic est* versui praecedenti adnexuit, ut evaderent haec:

hic est

ílle gurdus quém ego mé abhinc duos menses ex Africa vénientem e. q. s.

---

15) Sic ab alio ad aliud metrum transitus fit sive nulla sive minima orationis incisione ex. gr. Eun. 366 sq. 550 sq. 617 sq. 645 sq. Ad. 308 sq. 618 sq.; cf. Plaut. Stich. 579 sq.

Sed ut taceam de cumulato alterius versus hiatu — divisio illa versuum in *hic est* || *ille* intolerabilis videtur. Tamen placuit Diehlio Poetarum Rom. vet. reliqu. (Bonnae 1911) p. 156, iure displicuit Alfredo Klotzio D. Literaturzeitung 1911 p. 3106. Qui quam versus formam commendavit nescio an nemini probaturus sit: *híc est ille gúrdus* e. q. s. Nam cum pronominis *ille* in thesi binas moras aequantis praeter initium sive versus sive coli alterius versuum iambicorum unicum extet exemplum Ter. Ad. 313 *ego vápulando, ille vérberando* e. q. s., idem, ubi non prorsus necessarium videatur, statuere dubites. Praeterea correpto verbo quod est *est* ne Klotzius quidem nos liberavit. E re nata equidem, dum melius quid proferatur, Laberii verba pro octonario iambico [16]) cum septenarii trochaici priore parte coniuncto habebo, ut sit prioris versus initium idem quod versus Terentiani

Andr. 787 hic est ílle: non te credas Davom ludere.

At quo iure correptio iambica *híc ĕst* vindicatur scriptori aetatis Caesarianae? Quae obiectio primo quidem obtutu non nihil valet, quippe cum correptionem iambicam illis temporibus non iam in usu fuisse sciamus. Qua de re in universum certe constat, de singulis non item. Et cum Laberii mimorum tantae aetatem tulerint reliquiae ut de ea re quaerere operae pretium videatur, ad hanc quaestionem iam accedamus. Atque in prologo quidem illo (v. 98—124) quod nulla vox iambica correptionem patitur magni momenti est, cum in Plauto Terentioque viginti septem senarios continuos qui nullum correptionis exemplum praebeant frustra quaeras. Ceteris vero ex versibus qui *homŏ* (18) vel *nesciŏ quid* (138) pro correptionis exemplis afferat, non plus efficiat quam qui *nesciŏ quid, nesciŏquem* ex Catullo (2, 6. 6, 4. 53, 1. 80, 5), vel *homŏ* ex Lucretio (6, 652) sive ex Catullo (24, 7. 115, 8) allegaverit. Unus tamen Laberii extat versus qui vere conferatur cum eo de quo agimus, versum dico 1:

quid est ius iurandum? emplastrum aeris alieni.

Quae verba neque pro baccheis neque pro iambis haberi possunt,

---

16) Sitne *menses* in pede sexto recte collocatum nunc curare supersedeo.

sed pro trochaeis, ut recte dimensus est Ribbeckius in editione tertia:

quíd est ius iurandum? ėmplastrum aeris álieni ⏑–⏑–.

Iam genus correptionis iambicae quod est *híc est, quíd est* etiam tunc usitatum fuisse elucet. Fuerunt nimirum verborum compositiones quales sunt *is est, id est, hic est* in iis syllabarum iambicarum ordinibus qui perpetuo usu frequentissimo talem in modum erant detriti ut non iam pro iambicis sed pro vere pyrrhichiacis starent. Est igitur *híc est* correptio iambica et non est, plane eodem modo quo *ubĭ egŏ mihĭ malĕ.* Quo fit ut Laberius, quamvis praeterea correptione iambica abstineret, *híc est, quíd est* pro bibrevibus posuerit, neque iam miramur quod Pautus *hic est* in paenultima arsi collocavit.

Nunc ad alios convertamur versus explicatione egentes.

Plaut. Merc. 313 si umquám vidistis pictum amatorem, *em illic* est

Ter. Andr. 742 puer hércle est. mulier, tu apposuisti hunc? :: *ubi illic* est

Eun. 459 eámus ergo ad cenam. quid stas? :: *em alterum.*

Quorum versuum primus et extremus flagitant ut dicamus quid sentiamus de particula *em*, quam praeeunte Ritschelio (opusc. 2, 700) elisionem pati Skutschius[17]) negavit, idque eo consilio ut vocis *em* etymologiam Stowasseri, qui particulae huius originem ab imperativo praesentis verbi *emere* repetivit, extra dubium poneret. Illam etymologiam ob causas quasdam syntacticas quam maximam probabilitatis speciem prae se ferre nos quoque ducimus, nec tamen quicquam de ea re aut pro aut contra ratione quam Skutschius iniit effici censemus. Itaque versum Plaut. Bacch. 274

etiámne est quid porro? :: em, accipetrina haec nunc erit

voce *em* elisa pergemus legere, nam quod Plautum tales proceleusmaticos qualis sit *ėm ăccipetrína* in usu habuisse Skutschius[18]) demonstrasse sibi visus est longe aliter sentimus. Qua de re infra plura dicemus. Nunc hoc addimus Skutschium

---

17) Philol. 59 (1900) p. 481 sqq.

18) Satura Viadrina (Vratislaviae 1896) p. 137 sq.

quod particulam illam *eme* scriptam in versu Plaut. Mil. 687 deprehendere sibi visus est (Philol. 59 p. 498) nostra quidem sententia errasse. Neque enim ea loci illius est vis quam Skutschius vult, scilicet quod mulier numquam ipsa det sed semper virum flagitet, immo hoc dicit Periplectomenus divitis mariti partes agens mulieres numquam adhortari viros ut pecunia sua suis, sed semper ut ipsarum commodis serviant. In versu igitur Eun. 459 *em* elisionem pati statuimus. In verbis autem quae sunt *em illic est* (Merc. 313) si correptionem iambicam agnoveris, eiusmodi erit ut Plauto non iam vera correptio fuerit. Nam *em* cum pronominis quod est *ille* formis ita coaluisse ut iam una vox evaderet, codicum scripturae docent quales exstant Plaut. Bacch. 938 Ter. Andr. 855 Ad. 260 *ellum*, Ad. 389 *ellam*[19]).

Porro versus Andr. 742 quae sit ratio ut intellegamus, circuitu quodam progrediendum est. Permultum enim in hac re profecturos nos esse spes est ex consideratione senariorum iambicorum talem in modum structorum ut caesuram thesis praecedat bisyllaba. Quorum versuum in numero non ii habendi sunt in quibus thesis bisyllaba antecedentis vocis ultimam excipit elisam, ut sunt

Plaut. Trin. 131 argéntum amanti *homini* adulescenti, animi impoti

Curc. 640 servá me quando *ego* te servavi sedulo.

Quos versus non post sed ante thesin bisyllabam incidi docent alii quales sunt

Ter. Phorm. 87 nos ótiosi *operam* dabamus Phaedriae

Haut. 61 nam pró deum atque *hominum* fidem, quid vis tibi

(cf. G. Meyerus l. l. p. 62 sq.). Quos versus nunc non curo, sed eos quorum thesin bisyllabam non anteit syllaba elisa iique post thesin bisyllabam incidi putandi sunt. Qua in thesi bisyllaba caesuram praecedente quae exempla inveniantur correptionis iambicae e re videtur quaerere. En habes versuum huc facientium elenchum:

Plaut. Asin. 781 deam invocet *sibi* quam libebit propitiam

---

19) Cf. Birtius mus. Rhen. 51 p. 260.

Truc. 676 dic impera *mihi* quid libet quovis modo
Ter. Andr. 675 ego, Pamphile, hoc *tibi* pro servitio debeo
Eun. 331 illum liquet *mihi* deierare his mensibus
Plaut. Pers. 456 igitur proventuram *bene* confido mihi
Ter. Eun. 452 ridiculum; non *enim* cogitaras. ceterum
Plaut. Poen. 67 sexennio prius *quidem* quam moritur pater
Ter. Andr. 745 quid turbaest apud forum, *quid illi* (*illic* codd.) hominum litigant
Eun. 189 tu, Parmeno, huc *fac illi* adducantur. :: maxume.

De versibus quinque primis post ea quae supra de paenultima arsi pronominibus *mihi tibi sibi* adverbiisve *bene male* expleta disputavimus non est quod addamus verbum. Porro versus Eun. 452 facile explicatur iis quae Leo de particulae *enim* mensura docuit (Plaut. Forsch.[1] 303 sqq., cf. ed. alt. 330, 2). Restat versus prologi Poenuli 67. In quo vel *priús* iambicum offendit (Leo Plaut. Forsch.[2] 300); nunc alterum quod singulare sit deprehendimus, ita ut non sine causa dubites sitne illa versus forma vere Plautina. Utramque tollat offensionem mutatus verborum quae sunt *prius quidem* ordo. Et versus formam

sexennio quidém prius quam moritur pater

equidem commendaverim. De caesura autem quae est post *prius* haec commemorare velim. Perraro in thesi bisyllaba ante pedisequam caesuram vocem invenias bibrevem in *s* exeuntem atque *s* hanc finalem amittentem. Cuius rei in scaenicis exempla extant sola haec:

Plaut. Asin. 782 deum nullum; si *magis* religiosa fuerit
Mil. 852 sed in cella erat paulum *nimis* loculi lubrici
Ter. Ad. 822 signa insunt, ex *quibus* coniectura facile fit[20]).

Sunt igitur eae voces quarum *s* maxime caducam fuisse Leo ostendit[21]). Quae quod solae hoc versus loco inveniuntur mini-

---

20) Dubites de Ter. Ad. 899 *occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias*, utrum post *mĕquidem* an post *nimi'* incisum censeas.

21) l. l. p. 292 sqq., 301. Leonis argumentis hoc adiciam quod in Publilii Syri sententiis voces in *s* exeuntes *s* anxie servant exceptis *magis* M 15 (40?) V 21, *nimis* M 52, *prius* N 20.

me casui tribuas. Lepide autem fieret si iis quae sunt *magis nimis quibus* addere liceat *prius*, cuius eadem condicio est. Id quod versum Poen. 67 revera suadere crediderim. Praeterea non rettuli in elenchum illum Ter. Eun. v. 832 qualis legitur in editione Dziatzkoniana

scelésta, ovem *lupo* cómmisisti, díspudet.

Quam versus formam Klotzius (Grundzüge p. 56) collatis Hec. 107 *ut hoc próferam, sed ut tácite mecum gaúdeam* Phorm. 686 *ad réstim mihi quidem rés redit planissume* vindicare studuit. At in v. Hec. 107 caesura non semiquinaria sed semiseptenaria (post *tacite*) est, neque Phorm. 686 quicquam probat, quippe in quo *mĭquidem* metiendum sit ut Plaut. Capt. 866 Mil. 158 Ter. Andr. 225 Ad. 337 379. Ergo Bentleius rectissime, quicquid obloquitur Wallstedtius (stud. Plaut. 165) versum plane intolerabilem (*scelesta | óvem lupŏ cómmisisti, díspudet*) commendans, *commisti* scripsisse censendus est, qua correctione facillima innumeris in Terentio locis opus est (cf. e. gr. Hec. 251 Ad. 940). At versus caesura privatur. Certe; sed senarii caesura carentes longe plures extant, praesertim apud Terentium[22]), quam ii in quibus ultima syllaba vocis iambicae natura longa corripiatur ante caesuram. Quibus perpensis ne de versu quidem Plaut. Curc. 236

sed quid tibist? :: *lien* enecat[23]), renes dolent

quid iudicemus dubii erimus. De voce *lien* C. F. G. Muellerus illa qua multa verba aspernabatur ratione haec dixit (prosod. p. 273) 'ich finde . . wohl überall die Behauptung, dass *e* in *lien*, auch im Nominativ, lang sei (Prisc. I p. 149. 7, Phoc. V 415, 1), aber nirgends einen Beweis dafür'; cui ex nostri temporum grammaticis nemo assensus est praeter nuper Bechtelium[24]). Qui et ipse, quamvis vocem *lien* natura bibrevem esse contenderet, ubicumque in Plauto legatur, *e* correptione iambica breviatam esse posse concessit. Qui de *liĕne, liĕnosum* correptis ipse videat, nos, cum ne tantillum quidem extet argumenti quo *e* longa fuisse evincatur, unius versus Curc. 236 ratione

---

22) Cf. G. Meyerus l. l. p. 54.

23) Sic recte Varro ling. lat. 7, 60; *lien necat* codices Plautini.

24) Relat. societ. Gotting. 1899 p. 185 sqq.

habita *e* longam fuisse confidenter negamus — nisi forte de synizesi cogites. Correptione iambica certe correpta non est.

Iam duo restant versus (Ter. Andr. 745 Eun. 189), propter quos totam de thesi bisyllaba quaestionem instituimus. Quos — ne quicquam praetermittam — ante *illi* incisos esse noli credere. Neque enim umquam nisi post syllabam elisam altera syllaba in thesi posita caesuram sequitur. Ergo caesura est post *illi*. Quid vero de prosodia sentiendum est? Primum quidem, quod in tanta caesurae sic formatae exemplorum penuria duo tam similia extant magni momenti videtur. Vel inde aliquid his locis singulare inesse concludas. Tum accedit quod cum iis quae de paenultima arsi quaerentibus nobis occurrerunt tanta similitudine conexi sunt. Quod casui nemo tribuat. Immo, singulare correptionis genus agnoscemus, cuius explicationem inde repetimus unde illorum verborum in paenultima arsi collocatorum, de quibus ante disputavimus. Scilicet non est vera correptio iambica sed eadem quae in illis *ego*, *ubi*, *bene*, *hic est*. Quas voces olim iambicas aetate litteris Romanis longe priore correptionem passas ad vere pyrrhichiacas redactas fuisse tum statuimus, nunc controversiam quidem illam quae de pronominis *ille* syllabae prioris quantitate orta est plane non diiudicamus, sed hoc dicimus in verborum compositionibus tritissimis quales fuerint *quís illic*, *quíd illud*, *híc illic*, *úbi illic*, *fác illum*, (*em illum*) priorem pronominis *ille* syllabam talem in modum debilitatam fuisse ut iam prorsus pro brevi haberetur. Fuit igitur haec correptio quondam iambica. Aliud autem est quod fuit, aliud quod est. Atque Plauti Terentiique temporibus pronominis *ille* prior syllaba sic post breve monosyllabon posita non iam corripienda extabat sed correpta[25]).

Quam arte haec cum priore illarum quas Marxius (Relat. societ. Lips. 1907 p. 130) de antepaenultima arsi statuit legum cohaereant nemo non videt. Quod nunc non persequor, ut ne

---

25) Commemorare liceat sententiam Radfordii (Am. Journ. of Phil. 27, 427), qui pronomen *ille* ex forma quae est *olle* post monosyllabum posita ideoque debilitata (velut *séd olle* > *séd ille*) repetivit, necnon versum illum (Carm. epigr. 130, 2), quem circa annum 50 primi post Chr. n. saeculi scriptum esse vult Buechelerus: *id illí di faciant semper vivo et mortuo.*

id quidem diiudico efficiaturne quid his rebus ad explicandos eos locos quibus Skutschius pronominis *ille* posterioris syllabae syncopam[26]), alii prioris correptionem agnoverunt. Ego nunc cententus ero si contigerit mihi ut exitum versus Ter. Andr. 742 *úbi illic est* legi de paenultima arsi a me statutae non repugnare demonstraverim.

Restant in senariis iambicis septenariisque trochaicis paucissimi versus de quibus verba fiant. Legitur in Plauti Curculione trochaicus septenarius (354)

postquam cenati atque appoti, talos poscit *síbi in* manum.

Quocum conferas iambicum octonarium Amph. 1061

ita erae meae hodie contigit. nam ubi parturit, deos *síbi in-*
vocat.

Octonarios quidem iambicos adhuc non respexi, quippe de quibus iudicium ferre difficile sit. Ante omnia horum versuum condicio alia est apud Plautum, alia apud Terentium. Plautus quidem octonariis iambicis nisi in canticis non utitur. Asynartetos autem octonarios pro dimetris conduplicatis habere licet, quo fit ut iam non de octonariis sed de dimetris iambicis quaerendum sit. In dimetris vero iambicis, utpote qui lyrico quodam rhythmo concitatiore moverentur, Plautum correptionem iambicam non tam anxie ab arsi paenultima procul habuisse indicio sunt versus

Bacch. 654 nullús frugi esse *pótest* homo

Rud. 940 turbída tempestas *héri* fuit,

ita ut ne de versu quidem Capt. 196, quem octonarium discribunt editores, mireris:

decét id pati animo aequo. si id faciétis levior *lábos* erit.

Contra synarteti octonarii in Plauto extant fere centum viginti[27]). Quorum in numero nullus est quin conspiret cum lege quam in paenultima arsi observari dicimus, sed ipse numerus minor esse videtur quam ut multum probet.

26) Ipsum Skutschium, quod attinet ad eos locos de quibus nos quaerimus, a nostra sententia haud ita longe afuisse colligas ex verbis eius quae sunt (Plautin. und Roman. p. 124 adn. 2) 'dagegen ist nicht zu leugnen, dass bisweilen, wenn die erste Silbe von *ille* den Wirkungen des Jambenkürzungsgesetzes ausgesetzt war, sie der Vokallosigkeit bereits in plautinischer Zeit stark zuneigte'.

27) Meyerus l. l. p. 71.

Alia est in Terentio res. Qui octonarios iambicos in dialogo κατὰ στίχον posuit eosque maxima ex parte synartetos. Cumque numerus longe maior sit[28]) quam apud Plautum, permultum videtur valere quod bis tantum in paenultima arsi correptio iambica deprehenditur:

Phorm. 806 neque intélleges? :: si tu nihil narras? :: perdis. ::
miror *quíd hoc* siet

Andr. 941 cum tua religione, odium! nodum in scirpo quaeris. ::
quíd istuc est?

Quorum versuum posterior eodem quo Andr. 742 modo explicatur. Nam quod de pronominis *ille* priore syllaba breve monosyllabum excipiente tunc disputavimus, idem de pronomine *iste* valere et hic videmus et alio loco confirmari inveniemus (cf. infra p. 26). Priorem autem versum unicum ex lege exceptum esse facile concedimus. Haud semel autem Terenti versuum exitus talem in modum corruptos invenies in codicibus ut cum lege de paenultima arsi pugnent. Cuius rei exemplum supra attuli (adn. 7), alia sunt haec: Phorm. 951 Calliopius

quod díctum indictumst; quod modo erat ratum íd inritumst

exhibet pro vero quod servavit Bembinus *ratum inritumst*; eiusdem fab. v. 461 pars codicum pro

is quód mihi dederit de hac re consilium, id sequar

praebet *íd exsequar*.

Composui cum Curculionis v. 354, a quo digressi sumus, v. Amph. 1061 propter similitudinem quandam[29]). Conferri potest etiam Amph. 1131

bono ánimo es, adsum auxilio, Amphitruo, *tíbi et* tuis,

---

28) Sunt versus plus septingenti: Meyerus l. l.

29) Wallstedtius stud. Plaut. p. 68 de hoc versu (Amph. 1061) haec dicit 'illud *sibi* tolerari nequit, cum suo accentu prorsus careat et locum nullam excusationem habentem teneat'. Quorum argumentorum posterius quo spectet equidem nescio, qui Wallstedtium iamborum in paenultima arsi ponendorum studiosissimum cognoverim (v. supra p. 11). Quod autem ad argumentum priore loco prolatum attinet, propter errorem multorum virorum doctorum (cf. e. gr. Ahlbergius de proceleusmaticis I p. 93) communem opus esse videtur monere nullam esse in Plauto concordiam inter logicum quem dicunt accentum et metricum. Qua de re recte senserunt Muellerus add. ad prosod. p. 127 Radfordius Transactions 36, 192 adn. 2.

cuius exitus sollemni formula, quae eodem versus loco redit Carm. epigr. 64, 4

have et vale, quae optas eveniant *tíbi et* tuis,

videtur excusari. Quod vero versuum exitus velut *mihi expedi, mihi advenis, mihi obviam, mihi innuit* (scil. *mi expedi, mi advenis* e. q. s.) tanto opere frequentantur, nec tamen ullus invenitur qui aut *tibi* aut *sibi* tali modo positum (velut *tíbi obviam*) praebeat praeter perpaucos illos modo allatos, casui tribui vix potest.

Unus superest versus quo lex de qua agimus migrata sit: Plaut. Truc. 687

sequere íntro [me] amabo, mea voluptas. :: *téne hoc* tibi,

ubi Bothius et Muellerus (prosod. p. 325) *hoc* recte videntur eiecisse. Procul dubio depravatus est in codicibus, ut iam Bentleius vidit, exitus versus Most. 373

Cállidamates, Callidamates, vigila. :: vigilo, *cédo ut* bibam,

pro *cedo bibam*, quod unice verum est[30]).

Neminem futurum esse confido qui legem illam de correptione iambica ab arsi paenultima procul habenda iis qui obstant versibus, paucissimis si numerum spectas, levissimis si momentum, everti censeat. Nec tamen ab re videtur anapaesticorum octonariorum comparasse exitus. Sunt autem huc facientes hice: Plaut. Cas. 211 *fóras mulier* Pseud. 941 *dóli docti* Trin. 837 *fóret praesto* Pers. 179 *quídem nihilist*, quibus addas alios ex brevis paenultimae acuendae licentia formatos: Cas. 213 *impétras abeo* 721 *ilíco scindunt* Pers. 173 *littéras sciret* Trin. 835 *turbínes venti* Truc. 102 *cetéri cleptae* Poen. 1188 *sospítem quaeso* Truc. 111 *aggérunt ad nos*[31]). Profecto, reputanti quam pauci extent octonarii anapaestici acatalectici prae tot milibus senariorum septenariorumque trochaicorum, longa haec series magni erit momenti ad ostendendum quid valeant ex ingenti versuum copia paucissima illa exitus sic

---

30) Cf. Leonis adnotationem et Apul. met. 2, 16 *aqua calida iniecta porrigit bibam.*

31) Accedit praeterea ex coniectura sane quam probabili Stich. 312.

nimis véllem hae fores erum fúgissent, ea caúsa ut haberent má⟨lum mag⟩num.

formati exempla. Nam quam multa talia inventuri fuerimus, nisi eiusmodi exitus senariorum septenariorumque fingere poetae fugissent, anapaesti clare docent. Talibus vero in rebus, ne ullum quod e regula excipiatur exemplum extet poscere insipientiae est. Neque id negavi potuisse poetas tales facere versus sed voluisse. Cavebant nimirum ne paenultima arsi iambo repleta rhythmus in ipso versus fine nimis obscuraretur, ut alia ex parte arsin paenultimam maiore cum cura quam ceteras formatam esse notum est[32]). Contra ab anapaestorum rhythmo velociore exitus tales non videbantur abhorrere. Ex versibus vero iambicis trochaicisque maximi momenti sunt ii in quibus lex illa migrata videtur nec tamen est. Qui multa docent de verborum quorundam natura et prosodia. Et de vocibus velut *ubi ego mihi tibi sibi modo cave abi* al. teneo id quod supra dixi Plautum Terentiumque non minus quam posterioris aetatis poetas pro pyrrhichiis eas habuisse. At nonne id dudum constabat? Sane passim legas illud de 'particulis velut nummis frequenti usu detritis', quod tamen non obstabat ne Skutschius[33]) mensuras velut *pudĭcitiam Syrăcusas* collatis iis quae sunt *tibĭ dótem, modŏ cáve* defenderet, neve Haulerus[34]) verbis quae sunt *ubĭcumque ubĭvis ibĭdem* eodem uteretur consilio, neve denique Skutschius[35]) proceleusmaticum velut *périi harundo álas* aliosque eiusmodi collatis iis quae sunt *úbi cubuisti, tíbi paritúram, módo sine, tíbi male, bárathrum ubi* vindicaret, idque cum plausu multorum, ut Lindsaii[36]) Ahlbergii[37]). Quod ut non iam fiat nunc fore spero, cum veteres poetas voces illas non modo persaepe vel plerumque vel in universum corripuisse sed iis quoque a quibus praeterea correptionem iambicam procul habebant versuum locis adhibuisse constat. Segregasse autem poetas voces eas a ceterorum verborum

32) Seneca in hac re eo processit ut paenultimam senarii arsin fere non solveret. Neque enim ulla praeter Herc. f. 408 *mémoria* Med. 266 *fácinorum* 268 *mémoria* Oed. 816 *mémoria* exempla arsis paenultimae solutae in tragoediis extant (cf. Meyerus l. l. 42, 1).

33) Sat. Viadr. p. 130.

34) Ter. Phorm (1898) p. 53.

35) Ibid. p. 138, cf. Philol. 59, 494.

36) The Captivi of Plautus p. 40.

37) De proceleusmaticis I p. 91 II p. 24.

iambicorum multitudine vel inde intellegitur quod ex earum numero et *ego* et *ubi* hic illic quamvis ita collocatas ut correptionem iambicam pati nequirent, tamen pro bibrevibus usurpaverunt (supra p. 7; cf. Wallstedtius stud. Plaut. p. 32). Ipse Skutschius (l. l. p. 138 sq.) *ego bene* inter verba quae in quarta septenarii trochaici thesi inveniantur pyrrhichiaca affert, cuius rei tamen paulo post (p. 139 adn. 4) veniam petit. Et quod addit (p. 139) 'dass Plautus die durch IKG pyrrhichisch werdenden Wörter da nicht verwendet, wo er die von Anfang an pyrrhichischen gebraucht, dürfte sich schwerlich erweisen lassen', quam recte dictum sit de septenarii trochaici thesi quarta nunc non quaerimus, sed esse quosdam versuum locos quibus voces iambicas corripere poetae noluerint, iis autem quae in sermone correptae extarent usi sint demonstrasse mihi videor — ita ut distinguendum esse non modo inter ea quae ab initio pyrrhichiaca fuerint verba et ea quae per correptionem iambicam pyrrhichiaca fiant, sed inter ea quoque quae per correptionem iambicam pyrrhichiaca fiant et ea quae facta sint, eluceat. Quibus ex tribus verborum generibus quominus primum et tertium plane aequalia sint id unum obstat quod tertii generis verborum ultima syllaba acuta priorem arsis solutae brevem efficere nequit sed ictu semper producitur. Quod hic illic fiebat in poetarum versibus neque est cur sollicitos nos habeat, quippe in quo poetae posteriores conspirent cum veteribus. Scilicet formas pristinas non tam ex hominum memoria quam ex sermone cottidiano evanidas cuiusvis aetatis poetae in suum usum verterunt.

Quae si recte disputata sunt de paenultima ad finem versuum arsi, eadem de paenultima ad diaeresin versuum iambicorum asynartetorum valere par est. Atque septenarios tam Plautinos quam Terentianos perscrutanti permulti occurrunt generis eius quod explicatione non iam eget: Plaut. Asin. 583 *míhi fidem* (item *mihi* Asin. 594 Cist. 50 Ter. Andr. 695 saepius), Curc. 494 *tíbi dabo* (item *tibi* Epid. 338), Ter. Haut. 746 *síbi senex*, Plaut. Asin. 568 *úbi sciens* (item *ubi* Asin. 570 Ter. Eun. 608. 754), *béne vale* Plaut. Asin. 606 (item *bene* Curc. 516 Most. 239), Mil. 1255 *quem égo volo* (*ego* Poen. 1238 Ter. Andr. 703 saepius), Mil. 376 *nisi domo*, Ter. Eun. 1003 *módo senex*, Haut. 736 *máne mane*. Extant ut in paenultima

ad finem arsi ita hic illa *mihi húnc diem* (Plaut. Epid. 341) *mihi óbviam* (Ter. Eun. 256), *mihi ímperent* (Eun. 594), contra quae nullum stat *tíbi obviam* (cf. supra p. 23). Porro ex voluntate nostra fit quod ne hic quidem desiderantur exempla qualia praeter usitatissima illa talibus versuum locis invenire consuevimus: *ápud molas* Plaut. Pers. 22 (cf. supra p. 12) et *módo iste homo* Ter. Haut. 731. Quorum posterius syllabam priorem pronominis *iste* post breve monosyllabum positam eodem modo quo pronominis *ille* priorem detritam fuisse nos supra (p. 22) ex Ter. Andr. 941 recte collegisse comprobat.

Quae fuerit syllabarum mensura in verbis quae sunt *ehem optume* (Plaut. Asin. 449 *quam móx mi operam das?* :: *ehem optume. quam dudum tu advenisti)* non constat[38]). Quaesita verborum collocatione excusatur[39])

Rud. 319 deorum ódium atque hominum, *málum,* mali viti probrique plenum.

Restant correptionis exempla haec:

Asin. 736 noctem huius et *cénam síbi ut* dares. :: iube advenire quaeso

Curc. 530 periisse credo. *quíd id* mea refert? ego argentum habeo

Rud. 1335 praei verbis quidvis. *íd quod* domi est, numquam ulli supplicabo[40]).

Quibus qui refelli me dicat, is eodem iure propter tres versus (Asin. 419 654 Cist. 38) Luchsii de exitu diiambico legem ad prius septenariorum iambicorum colon pertinere neget. Immo, ut ne illa quidem de exitu versuum diiambico lex paucis illis quae adversantur exemplis (Enn. scaen. 228 340 V. Plaut. Trin. 533 Rud. 775 884 Mil. 204 Men. 750 Poen. 447 Pseud. 877 Ter. Phorm. 667 Titin. 65) everti creditur, sic nobis quoque paucissima quae e lege excipiantur concessum iri spero. Quodsi optio datur, eam quae cum lege conspirat versus formam praeferemus. Sic

---

38) Cf. Richterus Studem. stud. I 2 p. 433. Birtius Hiat bei Plautus p. 24, 2.

39) Idem fortasse caderet in Truc. 144

nam advórsum legem *meam ob* meam scripturam pecudem cepit, dummodo de lectione constaret.

40) De *id quod* priore correpta v. Leo ad Amph. 793.

Mil. 1273 eam quam Ritschelius[41]) 'aus guten Gründen' improbavit formam

postquám te⟨d⟩ aspexít. :: viri quoque ármati id istuc fáciunt

nostro iure recipiemus reiecta ea quae omnium est editionum

postquám te aspexit. :: *vírĭ* quoque armáti id istuc fáciunt;

nam tertiae arsis talis formatio prorsus sine exemplo est. Coniecturas vero in hac re peccantes ob id ipsum omni probabilitate carere in propatulo est. Itaque versus Most. 243 nullam correctionem quae dativo *Iovi* tertiam repleri arsin iubeat accipiemus.

Nunc de octonariis iambicis eandem quaestionem ponamus praetermissis octonariis Plautinis ob causas supra (p. 21) expositas. Terentiani autem suapte natura quam maxime idonei videntur de quibus quaestio fiat. Nam cum maxima ex parte synarteti sint, docere possunt utrum casu quodam decipiamur necne. Synartetorum enim octonariorum arsin tertiam, quippe quae non sit paenultima ad diaeresin, correptionis iambicae non expertem fuisse putes. Et revera haud ita paucos invenias versus tales

Eun. 382 flagitium facimus. :: *án id* flagitiumst, si in domum meretriciam

573 pro eunuchon? :: sic est. :: *quíd ex* ea re tandem ut caperes commodi

1045 illumne qui mihi *dédit* consilium ut facerem, an me qui id ausus sim.

Haec sunt exempla ex una Eunucho sumpta, ex asynartetis autem octonariis hoc unum exemplum afferri potest Terentianum

Andr. 207 quantum intellexi *modo* senis sententiam de nuptiis,

ita ut idem de octonariorum iambicorum arsi tertia quod de septenariorum valere facile concedatur.

Agedum ad paenultimam ante finem arsin a qua digressi sumus revertamur. Adhuc usque ea ratione usi sumus ut de syllabarum prosodia non tam ex origine vel etymologia verborum sed ex sermonis usu quaereremus. Quae ratio etiam ad eos qui restant explicandi versuum exitus *cálefacit*, *díutius* (*díutinus*), *vídelicet* adhibenda est. Quibus de vocibus sententia nostra haud leviter

---

41) Neue plautinische Excurse p. 43.

discrepat ab ea quae nunc multorum virorum doctorum communis videtur. Nam postquam Skutschius (Sat. Viadr. p. 133 sqq.) compositionum velut *stupefacio* et *videlicet* ('Zusammensetzungen vom Typ *stupefacio* und *videlicet*') mensura correptiones quales sint *pudĭcitia verĕbamini* firmare studuit, in commentationibus de correptione iambica quae his proximis annis in lucem prodierunt revera *calĕfieri madĕfactatis patĕfeci perpavĕfaciam* iuxta ea quae sunt *amători pecŭlatum amĭcitia adminĭstraret* posita passim invenias[42]). Atque id quidem veri simillimum videtur eadem vi qua in lingua Latina ex iambis pyrrhichii facti sint illorum quoque compositorum partem priorem correptam esse. Cuius rei cumprimis *e* longa in verbis velut *frigefacio* servata indicio est (Skutschius l. l.). Sed caveamus ne quae vocum illarum natura sit immemores simus. Nempe composita sunt ex duabus partibus quas numquam sic coaluisse ut prorsus unum evaderet verbum et Priscianus (Gramm. lat. II p. 402 H.) testis est de accentu haec tradens: 'Si vero *facio* vel *fio* integris manentibus aliud verbum infinitum ante ea componatur, non solum significationes et coniugationes integras eis servamus, sed etiam accentus, ut *calefácio calefácis* e. q. s.'[43]) et divisiones velut Lucretii *facit are* docent. Quo modo fieri potuit ut prior pars corriperetur. Quod autem correptio adeo inveterata est ut syllabae duae priores vere breves fierent, proclisis causa videtur fuisse. Haec facta erant temporibus Plauto longe antiquioribus, ita ut Plauti aetate duae priores syllabae non plus ponderis haberent quam *ubi ego male*. Itaque quod in Plauti versibus usurpantur correptae, noli Plautum eas corripuisse dicere, nisi idem de poetis dactylicis concedere in animo est. An Plauto de syllabarum quantitate ex etymologia sonantiumque historia iudicandum erat, non ex usu sermonis, quod ceteris poetis omnibus licuerit? At exstat apud Terentium illud *obstupĕfecit* (Phorm. 284). Sane. Sed apud Catullum exstant et *tepĕfactet* et *tepēfaciet*, apud Lucretium et *patĕfactis* et *patēfecit*, apud Ovidium et *liquĕfiunt* et *liquēfactis* (cf. Ritschelius

42) Cf. Haulerus Phorm. p. 53. Ahlbergius de correptione iambica (Lundae 1901) p. 8 sqq. 35. Wallstedtius stud. Plaut. p. 73.

43) Cf. Lachmannus comm. in Lucr. p. 191. Langenus de grammaticorum lat. praeceptis quae ad accentum spectant (Bonnae 1857) p. 22.

opusc. II p. 620). Scilicet ut *egō ubī* ita *patēfecit* interdum dimensi sunt poetae, qua de re post ea quae supra (p. 25) dixi amplius disserere non opus erit. Neque igitur exitus septenarii trochaici Epid. 674 *cálefacit* magis nos sollicitat quam frequentissimi illi *bénevolo* (Asin. 66) *bénedice* (Asin. 206) *máleficum* (Pseud. 937).

Nunc convertamur ad versuum exitus qui sunt *díutius díutinae díutinum*. Qua in re quaerendum est de vocis *diu* prosodia, de qua plurimum disputaverunt viri docti. Quos omnes enumerare mitto, potius quae ipse sentiam dicam quam brevissime. Ante omnia *u* primitus longam fuisse extra dubium videtur. Item et comparativi *diutius* et adiectivi *diutinus* secundam olim longam fuisse *u* productae vel unum exemplum satis est ad demonstrandum. Extat autem *diūtius* Plaut. Rud. 93 *eo vós amici detinui diútius*, *diūtinus* Mil. 503 *longúm diútinumque a mane ad vesperum* Rud. 1241 *diútine uti bene licet partum bene*. Contra stant adiectivi duo exempla:

Ter. Phorm. 1012 haécine erant itiones crebrae et mansiones *diutinae*

Turpil. com. 38 sibí suum amicum esse indulgentem et *diutinum*,

adverbii comparativi tredecim in scaenicis:

Plaut. Trin. 685 sícut dixi, faciam: nolo te iactari *diutius*

Ter. Hec. 148 sed quám decrerim me non posse *diutius*

575 simul véreor Pamphilum ne orata nostra nequeat *diutius*

Haut. 102 cottídie accusabam: hem tibine haec *diutius*

424 de fílio aegritudo, et quanto *diutius*

834 nam nihil est illic quod moremur *diutius*

Phorm. 569 postquám videt me eius mater esse hic *diutius*

Afran. com. 49 honéste ut latites et nos ludas *diutius*

Pacuv. trag. 181 paucís absolvit ne moraret *diutius*

Turpil. com. 62 set néqueo ferre hunc *diutius* ⟨sic vócif⟩erari et conqueri

Pompon. Atell. 22 non ésuribis *diutius*. :: qua re? :: rogas

Ter. Phorm. 182 nam nón potest celari nostra *diutius* iam audacia

Laber. mim. 62 dum *diutius* retinetur, nostri oblitus est.

Exscripsi versus, ut facile appareret quibus potissimum locis *diutius* collocatum sit. Exstat enim noviens in fine versuum, semel in fine coli prioris octonarii iambici, non plus ter aliis versuum locis. Atque hoc quidem vel numerus docet illud Skutschii: 'Das Ursprüngliche ist *ū*; *ŭ* verdankt seine Entstehung einfach dem Jambenkürzungsgesetz . . . . *diŭturnus* wie *amĭcitia*, *pudĭcitia*, *verĕbamini* u. a.' (Berl. phil. Woch. 1895, 1335 adn.) ad adverbii *diutius* prosodiam explicandam non sufficere. Neque enim usquam in versibus iambicis vel trochaicis verborum quorum forma sit ⏑–⏑⏓ syllaba secunda natura longa corripitur praeter illa *Pálaestrio trágoediam ligurriunt*, quae ne Skutschius quidem defendit. Neque ullum ex ceteris versibus afferri potest exemplum praeter unicum *nítoribus* (Cas. 217 in versu anapaestico). Adverbii *diutius* autem mensura illa tam sollemnis est ut praeter unum locum (Rud. 93) alia non inveniatur. Haud absurde igitur de synizesi cogitarunt docti.

Sed ne synizesis quidem ex difficultatibus omnibus nos explicat. Ante omnia — cur poetae dactylici adverbium *diutius* evitarunt? Quod quomodo concinat cum synizesi non video. Nam quid erat quin aut cum synizesi *d(i)ūtius* aut sine synizesi *diūtius* metirentur? Radfordius quidem haec (Transactions 36 p. 182 adn. 3) 'in later pronunciation, inquit, the *i* (like the *u* in *duō*) was fully restored in these words, i. e. *dĭūtius*, *dĭūtinus*, *dĭūturnus*, and after this restoration the Augustan poets, in view of the peculiar difficulty of these word-forms, appear to have adopted the negligent pronunciation with iambic shortening, i. e. *dĭŭturnus*'. Sed primum Augustanae aetatis poetas correptionem iambicam a vetustate alienam sibi indulsisse per se valde improbabile est. Tum, quod attinet ad metricam difficultatem quae his vocibus infuisse dicitur, cavendum est ne in errorem illiciamur. Formae enim velut *diūturnus diūturnum diūturnis diūturnae* qualem difficultatem exhibuerint poetis formas velut *voluptatis voluptatem reducuntur recurrentes* in versibus passim collocantibus equidem non perspicio. Sunt tamen adiectivi *diuturnus* quaedam formae quae secunda syllaba producta in versu aut omnino non aut non sine aliqua difficultate poni potuerint, nominativum dico singularem generis feminini, nominativum vel accusativum pluralis generis neutri, compara-

tivum qui est *diuturnior*. Has igitur formas evitasse poetis satis esse poterat, ceteras quominus adhiberent nihil obstabat. Sed contrarium fit, illae formae solae sunt in usu: *diuturnă* Ovid. trist. 3, 3, 78 4, 6, 50 5, 5, 24 Ibis 334 fast, 5, 488 6, 352 Epiced. Drusi 104 Carm. epigr. 1808, 7 *diuturnior* Ovid. met. 3, 472 fast. 6, 219. Accedit nominativi forma *diŭturnus* Epiced. Drusi 413 ante vocalem posita (*perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque*), cum formam *diūturnus* ante consonam sine ulla difficultate ponere liceret. Eas igitur formas quae potissimum fugiendae erant solas adhiberi videmus. Unde me quidem iudice pro certo intellegitur non fictas esse eas a poetis, sed sic extitisse in sermone, scilicet *u* correpta. Idem nimirum de *diutius* sumendum est, neque iam incerti sumus cur poetae dactylici hoc comparativo abstinuerint. Quae recta esse quemvis doceat versus Phaedri III epil. 14

fruár diŭtius, si celerius cepero,

ubi *u* priorem arsis solutae syllabam efficit.

Quae cum ita sint, poetas scaenicos verba quae sunt *diutius diutinus* pro proceleusmaticis habuisse putemus[44]). Synizesin vero, quod ad has voces attinet, missam faciamus[45]). Sed quomodo vocis *diutius u* correpta intellegitur? Nullam equidem explicandi rationem video nisi eam ut ex adverbio *diu* saepissime correpto *u* correptam in comparativum *diutius*

---

44) Item valet et Lucilio: cf. senarium 907 *si longius te producturum et diutius*. Praeterea afferendus est Phaedri versus 1, 2, 16 *hoc mersum limo cum iaceret diutius*.

45) Adverbium *diu* synizesin passum esse comprobare studuit post alios Radfordius (Transactions 36, 201 Classical philology 3 [1908], 165) argumento ex vocé *dudum* petito. Quo argumento, quamvis saepe id prolatum invenias, nihil est futilius. Primum enim *dudum* ex *djudum* vel eam ob causam ortum esse non potest quod ex sonantium compositione *dj-* non *j* sed *d* evanuisset (Solmsenus Studien z. latein. Lautgeschichte p. 196). Porro nihil curamus sitne *dudum*, quod ad etymologiam spectat, conexum cum *diu*, necne. Si revera voces cognatae sint, stirpis illa commutatio quam in *dudum* deprehendimus aetate linguis Italicis longe priore facta esse putanda sit. Nos de lingua Latina quaerimus, quae horum verborum duas solas ostendit formas, *diu* et *dudum*. Nihilominus apud Radfordium (Transactions l. l.) talem invenias verborum seriem *d(i)u*, *d(i)utinus*, *d(i)utius*, *d(i)udum*.

inque adiectivum *diutinus* illatam esse existimemus. Idem valet de adiectivo *diuturnus*. Cuius correptionis ratio non melius illustrari potest quam collatis vocibus *ubicumque ibidem*. Quibus vocibus formae correptae adverbiorum *ubi ibi* quasi pro fundamento positae sunt, neque ex poetarum licentia *ubicumque ibidem* correpta extant secunda, sed ex usu sermonis. Quicquid vero de formae *diŭtius* origine sentitur, fuisse cum haec forma prorsus obtineret et ex poetarum dactylicorum silentio et ex Phaedri usu perspeximus. Neque negari potest eam iam tum sollemnem fuisse cum poetae scaenici veteres ita eam in versibus ponere consuerant ut supra (p. 29) vidimus[46]).

Nunc superest ut eos versus quorum paenultima arsis vocis *videlicet* primis duabus syllabis expletur paucis absolvam. Invenitur *videlicet* secunda correpta apud Plautum Terentiumque novies, et quidem in fine versus quater (Plaut. Most. 980 *véra cantas.* :: *vana vellem. patris amicu's vídelicet.* Ter. Haut. 263 514 Ad. 450). Producta autem secunda semel extat in septenario iambico Plaut. Asin. 599 *negotiosum* (-us *codd.*) *interdius vidélicet Solonem.* Vocem *videlicet* aliquid sibi habuisse peculiare me iudice vel ex hoc numero apparet. Nam si vox talis fuisset qualis v. gr. *imaginem, negavero,* cur eam Plautus fere semper, Terentius semper correpta secunda usurpaverint frustra quaeras. Erat nimirum ex duabus partibus compositum neque umquam plane pro uno verbo habitum est. Fuit eius condicio haud dubie fere eadem quae verborum *calefacit patefacit,* quae correpta tantum secunda in usu erant. Sic et Plautus

---

46) Vocis *diu* syllabam posteriorem maxime detritam fuisse fortasse etiam ex Plaut. Trin. v. 65 colligas. Cuius versus in editionibus haec fertur forma:

edepol proinde ut diu vivitur bene vivitur.

Sed cum in codicibus extet haec

edepol proinde ut bene vivitur diu vivitur,

versum, quamvis probabilem in modum ordo verborum ab Acidalio commutatus sit, neque ante (p. 17 sq.) in elenchum eorum versuum quorum caesuram praecedit vox iambica correpta recepi neque nunc pro argumento adhibuerim. — Ceterum, quod a Plauto ne *diūtius* quidem prorsus alienum est, non magis nos movet quam quod etiam *ubícumque* (Pseud. 580) dimensus est. Haec prosodia, qua Catullus quoque utitur (39, 6), non usu sermonis sed arte nititur.

et Terentius vocem *videlicet*, quicquid de origine eius statuitur, pro voce a tribus brevibus incipiente habebant, et secundam eius syllabam tum non magis quam verborum *calefacit patefacit* acutam fuisse colligi licet. Qualis fuerit vocis *videlicet* Plauti Terentiique temporibus accentus, utrum *vídelícet* an *vídelicet* an *videlícet*, ignoramus; illud vero *vidélicet* in versu Asinariae ut *obstupéfecit* in Terenti Phormione ex arte non ex usu dictum est[47]).

In rebus modo tractatis remanere quae non satis sint expedita non me fugit. Sed cum etiam sub iudice lis sit, non vereor ne quis ex his vocibus argumentum repetat contra ea quae nos de paenultima arsi contendimus. Immo, cum de earum natura atque indole minime constet, sic dicamus: magni erit ad haec quoque diiudicanda momenti quod iam ad liquidum perductum esse videtur correptionem iambicam, quae quidem vera sit, a paenultima arsi senariorum iambicorum septenariorumque trochaicorum, necnon a paenultima arsi coli prioris versuum iambicorum septenariorum octonariorumque asynartetorum alienam esse. Neque enim fere ullum in iis quae obstare videbantur invenimus exemplum cuius non ratio aliqua demonstrari posset. Nunc vero ad eos versus qui ut de paenultima arsi quaererem me adduxerunt enumerandos accedam, eos dico quorum in arsi paenultima vox extat iambica vocales duas continuas continens. Sunt autem senarii hice:

Plaut. Asin. 72 struere et beneficiis me emere gnatum *suom* sibi
Cist. 196 mater rescivit, iussit accersi *eam* domi
Men. 479 ait hanc dedisse me sibí, atque *eam* meae
Mil. 148 glaucumam ob oculos obiciemus *eum*que ita
Most. 588 beatus vero es nunc cum clamas. :: *meum* peto
Trin. 508 Philto, est ager sub urbe hic nobis, *eum* dabo
Ter. Haut. 823 quid ei polliticu's. :: garris. unde? :: a *tuo* patre
Eun. 698 quicum? :: cum Parmenone. :: norasne *eum* prius,

septenarii trochaici hice:

47) Poetas dactylicos semper *vidélicet* accinuisse non mirum est.

Plaut. Bacch. 440 at nunc, prius quam septuennis est, si attingas *eum* manu
Capt. 588 illum restituam huic, hic autem in Alidem me *meo* patri
987 dic mihi, isne istic fuit, quem vendidisti *meo* patri
1032 neque ubi amans adulescens scortum liberet clam *suom* patrem
Men. 783 habeor. :: unde? :: ab illo quoi me mandavisti, *meo viro*
Mil. 255 placet ut dicis. :: intro abi ergo, et si isti est mulier, *eam* iube
Pers. 621 servitus mea mi interdixit ne quid mirer *meum* malum
Poen. 843 apud nos expeculiatos servos fieri *suis* eris[48])
Rud. 1027 quo pacto? :: sine me hinc abire, tú abi tacitus *tuam* viam
Stich. 622 nam hic quidem genium meliorem tuom non facies. *ea*mus, tu
Enn. scaen. 60 optumi viri. mea mater, tui me miseret, *mei* piget[49]).

Ex iambicis octonariis praeter Plautinos afferri possunt hi:
Ter. Eun. 898 recipere posthac? :: quor non? :: crede hoc *meae* fide
Turpil. com. 185 forte *eo* die meretricis ad me delenificae ut Atticae convenerant.

Paenultimae ante diaeresin arsis talem in modum formatae exempla sunt haec in septenariis iambicis:
Plaut. Mil. 372 noli minitari: *scio* crucem futuram mihi sepulcrum
Cist. 42 at satius fuerat *eam* viro dare nuptum potius. :: heia

---

48) Exitus leviter depravatus est in codicibus.

49) Addas fragmentum Titthae Caecilianan probabilissime expletum (v. 221 sq.): ego vitám meam
asticam contendam cum istac rusticana ⟨tua⟩, Syra.

Most. 234 ut ego exheredem *meis* bonis me faciam atque haec sit heres

Ter. Hec. 257 si metuis, satis ut *meae* domi curetur diligenter

772 nec pol istae metuont *deos* neque has respicere deos opinor

820 qua re suspectus *suo* patri et Phidippo fuit, exsolvi,

in octonariis Terentianis haec:

Andr. 237 quid illud est? :: pro *deum* fidem, quid est, si haec non contumeliast

Ad. 536 virtutes narro. :: *meas?* :: tuas: homini ilico lacrumae cadunt.

Quibus locis quod tam saepe inveniuntur verba iambica quorum vocales nulla intercedente consona sese excipiunt, casui nemo tribuet. Maximi autem momenti videtur quod aliis quoque versuum locis correptionem iambicam respuentibus illa verba admittere poetae non dubitaverunt. Quod de septenarii trochaici quarta thesi diaeresin praecedente olim intellectum est[50]). Idem

---

50) Contra Skutschius (Sat. Viadr. p. 138 sqq.). Plautum ab hac thesi correptionem iambicam minime procul habuisse contendit. Sed ex exemplis quae fere viginti numero esse dicit (p. 140) eximenda sunt *ubi*, quod quinquies, *abi*, quod bis invenitur, item *nisi quasi homo*, quae singulis extant locis — eximenda sunt ob causas supra expositas (de *homo* v. p. 15) eaeque non diversae sunt ab iis quibus permotus ipse Skutschius *bene ego* ex hoc numero seclusit (cf. supra p. 25). Addit Skutschius (Γέρας p. 110) Most. 258

cédo cerussam. :: quid cerussa *opust* nam? :: qui malas oblinam,

ubi tamen B (A non legitur) praebet *opus*, quod rectum esse potest, cf. Pseud 349 *ei, gladium adfer.* :: *quid opus gladio?* Restant igitur sola haec: Trin. 316 *pater* (de quo cf. Leo Plaut. Forsch.[2] p. 349 adn. 2) Curc. 621 *licet* Epid. 582 *domo* Epid. 202 *égo quidem* Amph. 1115 *facit* Pers. 37 *in hoc* Pseud. 716 *modo hanc* Trin. 1016 *is hunc.* Quibus accedit v. Mil. 628

tám capularis, tamine tibi *diu* videor vitam vivere,

quode conferas adn. 46. Esse haec paucissima, versuum copiam si respicimus (sunt enim septenariorum trochaicorum Plautinorum fere octo milia septingenti), ne Skutschius quidem negabit, certe id non explanavit cur tanto saepius hoc loco inveniantur verba iambica in quibus vocales se excipiunt. — Non ab re videtur quaerere qui fuerit Terentii quod ad hanc rem pertinet usus. Et inveniuntur cor-

in proceleusmaticos cadit trochaci vice stantes. De quibus, cum sententiam illam a Friderico Leone (Plaut. Forsch.[1] p. 245 sqq. ed. alt. p. 270 sqq.) denuo confirmatam Skutschius (Sat. Viadr. p. 136 sqq. cf. Philol. 59, 494) non sine plausu (cf. Ahlbergius de proceleusmaticis p. 91 Lindsaius Captivi p. 40) impugnaverit, paucis disserere opus est. Atque esse quosdam proceleusmaticos haud ex regula formatos ne Leonem quidem fugit. Quanti autem aestimanda sunt ea quae Skutschius protulit supra (p. 24) vidimus. Ea vero quae Leo attulit non est cur supra modum nos sollicitent. Lex certe illa erat, sed lex quam poetae sibi scripserant eaque nonnumquam etiam solvi apud ipsos erat. Neque ex paucissimis illis qui ex regula excipiantur versibus de regula iudicandum est, sed ex multitudine eorum qui eam observatam ostendunt. Hodie vero quis fuerit usus sive norma quae non ex necessitate sed ex arte penderet, homines docti non posse mente complecti videntur. Itaque versus anapaesticos cum iambicis trochaicisque comparavi, ut quae in iambis trochaeisque proceleusmaticorum ratio fuerit collatis anapaestis eluceat. Afferam igitur ex versibus anapaesticis proceleusmaticos iambum continentes omissis tamen talibus quales sunt *ilíco rapiunt* (Cas. 721) *venérant Venerem* (Poen. 1180)[51]) iique aliam ob causam a iambis trochaeisque alieni sunt, necnon iis qui synaloepha pronominum possessivorum tollantur (velut Pers. 174 *quom intérim tu meum ingeniúm fans atque infans nondum etiam edidicisti* Stich. 35 *an id dóles, soror, quia illi súom officium*). Quibus praetermissis in octo fabulis Plautinis (Bacch. Cas. Curc. Pers. Poen. Pseud. Stich. Trin.) restant hi:

Bacch. 1186 minimé, nolo. nil *móror sine* sic
Cas. 211 cui verbo? :: ei *fóras, mulier*
Bacch. 641 nam *dúplex hodie* facinús feci

---

reptionis iambicae, quae quidem vera dici possit, exempla haec: Hec. 879 *Parmenó.* :: *sequor équidem* Eun. 362 *Parmenó, fac ut pótiar* (766 *sorórem illám tuam esse ét te*) Haut. 176 *cum núntió tibi hic ádfuturam* Ad. 974 *óptumam quidem múlierem.* :: *ét quidem tuo nepoti huius filio,* ubi dubites utrum *ét quidem* an *ĕt quidem* dimetiaris. Haec sola sunt in septenariis fere mille et ducentis.

51) Verborum creticorum syllabas ultimas tam natura quam positione longas corripi Skutschius demonstravit Γέρας p. 137 sqq.

Cas. 213 eccum ít; intro *ábi, adpropera,* áge amabo
Curc. 123 age, effúnde hoc *cíto in barathrum,* propere
Pers. 272 nunc *dómum propero.* mane, etsi properas
772 move *mánus, propera.*
847 malum vóbis *dábo.* :: *at tibi* nos dedimus
Poen. 1187 qui génus colis *álisque hominum*
Pseud. 183 domi *nísi malum* vestra operast hodie
239 mitte mé sis. :: *síno, modo ego* abeam
[593 lubet scíre quid hic veniát cum *máchaera* (?) *et huic* quám]
Stich. 18 haec rés vitae me, *sóror, saturant*
35 an id *dóles, soror,* quia
312 nimis véllem hae *fóres erum* fúgissent
Trin. 260 fugit *fórum, fugitat* (fugat *codd.*) suos cognatos
274 eo míhi magis lubet cum *próbis potius*
824 grátias *ágo atque habeó* summas
842 pol quámquam *dómi cupio,* ópperiar.

Considerantibus nobis quam exiguus sit numerus versuum anapaesticorum pro myriadibus versuum iambicorum trochaicorumque haec, quae ex fabularum Plautinarum parte attuli, satis erunt ad demonstrandum quot exempla in iambis trochaeisque inveniremus nisi eiusmodi proceleusmaticis fingendis poetae in illis versibus pepercissent. Unde cur nullum exemplum extet Terentianum facile intellegitur. Sed de hac re nescio an etiam accuratiora enucleari possint. Nam in ipsis anapaestis Plautum ratione differente usum esse sentire equidem mihi videor. Perlustranti enim mihi proceleusmaticorum omnium conspectum quam ante oculos habeo a me confectum isque ad omnes versus Plautinos spectat, maxime mirum videtur quod in tota Militis Gloriosi actus quarti scaena altera (v. 1011—1093) anapaestica, quae universorum versuum anapaesticorum Plautinorum magnam continet partem, ne unum quidem proceleusmatici talem in modum formati extat exemplum[52]), cum ceterum vix quinos continuos versus anapaesticos legere liceat, quin unum saltem exemplum deprehendas. Cuius differentiae quae sit ratio non

---

52) *tandem ádes remeligo* 1030 coniectura tantum Leonis nititur.

in obscuro est. Militis enim fabula ob causam quam ignoramus caret canticis, quorum vice stat scaena illa anapaestica. Nec tamen verum est canticum sed versus sunt canticorum proprii ad diverbii tenorem compositi. Vel hac ex re elucet Plautum proceleusmaticos illos rhythmo concitatiori canticorum quae vere essent ad tibiae sonum modulata reservasse. Qua de sententia perbene et rebus et ratione fulta nequaquam deiciemur paucissimis illis talium proceleusmaticorum exemplis quae ex iambis trochaeisque expiscari doctis contigit. Quanto autem in hac sententia firmiores erimus tanto plus ei rei tribuemus quod in versibus iambicis trochaicisque tales proceleusmaticos quales sunt *túan ego caúsa* (Plaut. Pers. 747) *in aédem Veneris éo, nisi quíd vis* (Poen. 190) *égo deos quaéso* (Rud. 1256) *vídeo eos sápere* (Ter. Ad. 827) fingere non dubitaverunt poetae[53]).

Haec hactenus de paenultima ad finem versus et ad diaeresin arsi, de thesi diaeresin septenarii trochaici antecedente, de proceleusmaticis. Nunc de caesura senarii iambici videamus. Quam angustis finibus correptio iambica in bisyllaba ante caesuram thesi se continuerit supra (p. 17 sq.) cognovimus. Feliciter autem accidit quod ne hic quidem deest versus qui confirmet ea quae de illis versuum locis observavimus, versum dico Plaut. Amph. 923

per dexterám (dextram *BD*) *tuam* te Alcumena oro obsecro.

Fortasse subiungas etiam versum Bacch. 596

ita déntifrangibula haéc meis manibus gestiunt,

quem post *dentifrangibula* incidi vulgo putant. Quae incisio quo probetur nemo adhuc dixit. Unum exhibuit senarium aequalem Meyerus l. l. p. 63 adn. 1

Ter. Andr. 11 non ita sunt *dissimili* argumento, sed tamen. Sed hic versus in codd. corruptus legitur (tradita sunt *non ita dissimili sunt argumento*), neque quicquam illa forma habet quo probabilis reddatur. Unicum senarii sic formati exemplum extat in Poenuli prologo (v. 93):

is éx *Anactorio* ubi priús habitaverat.

Atque Bergkius quidem in illo Bacchidum versu *dentifragibula*

53) Exempla ex Ahlbergii commentationis saepius laudatae (de proceleusm.) parte altera petas.

scribi iussit (opusc. I p. 124), ego versum post *meis* incidere praetulerim[54]). Sed de hoc versu quicquid iudicatur, sufficit ille Amphitryonis versus ad demonstrandum ne ab hoc quidem versus loco voces iambicas illas de quarum prosodia ambigitur procul esse habitas. Cuius rei quod unum tantum extat exemplum, in tanta penuria senariorum ita formatorum ut caesuram vox bisyllaba praecedat non miramur.

Iam in eo est ut totius commentationis faciamus summam. Atque id quidem ad liquidum perduxisse mihi videor correptionem iambicam non tam late patere quam magna pars virorum doctorum hodie credunt. Diligenter enim considerationem intendentibus nobis certi apparuerunt versuum loci correptioni non obnoxii. Maximi autem momenti est quod ex numero verborum iambicorum ubique exceptas esse vidimus voces quasdam nullo inter se vinculo conexas nisi quod earum vocales nulla intercedente consona sese exciperent. Quod cum casui tribui nullo modo possit, peculiarem sibi illas voces explicationem flagitare apparet. Atque multo saepius pronominum possessivorum formas quam alia verba iambica unam arsin vel thesin efficere olim observatum est. Sed mero numero nihil efficitur. Alia res eos qui C. F. G. Muellero duce horum verborum non priorem syllabam cum posteriore coalescere sed posteriorem corripi contendebant permovit ut aliquid proprii iis concederent. Inciebat nimirum scrupulum quomodo fieri potuerit ut formarum trisyllabarum velut *eorum meorum duorum* secunda syllaba corriperetur; cuius correptionis ceterae voces bacchiacae nihil exhibebant simile. Hunc scrupulum quem ad modum evellere conati sint haec Skutschii declarant verba (Sat. Viadr. p. 135 sq.): 'Klotz hat bereits hervorgehoben, dass die Vokale einer kurzen und einer darauf folgenden langen Silbe um so stärker sich in der Quantität zu assimilieren trachten, durch je weniger Konsonanten sie getrennt sind (Jahresber. 69 (1892) S. 238 f.). Über muta cum liquida hinweg wirkt das J(amben-)K(ürzungs-) G(esetz) am seltensten, häufig über einfachen Konsonanten hinweg, am leichtesten wo die Vokale gar nicht getrennt sind. Diese Abstufung ist lautphysiologisch so erklärlich, ja so not-

54) Conferas senarium Ter. Haut. 354 *quasi istic minór mea rés agatur quam tua.*

wendig, dass auch sie geradezu als ein Postulat, etwas a priori Anzunehmendes bezeichnet werden darf.' Quibus verbis quid faciam equidem nescio. Neque enim scio quid illud 'hinweg-wirkt' sibi velit, gradus autem illos quos Skutschius sibi fingit nullos esse persuasum labeo. Syllaba enim longa corripitur ea condicione ut praecedens brevis sit. Neque vero brevior est prior syllaba consona una a posteriore seiuncta quam ipsa posterioris syllabae vocali excepta[55]). Sequentibus autem vocalem brevem muta et liquida in Latina quoque lingua tempus fuisse cum talis syllaba pinguesceret aliae res indicio sunt[56]). Quo fortasse non sine probabilitatis specie revoces illud quod eiusmodi voces non tam facile pro pyrrhichiis stant; quamquam ne id quidem numquam fit. Certe, inter eas voces quarum prioris syllabae vocalem consona insequitur et eas quarum prioris vocalem ipsa posterioris syllabae vocalis excipit non potest fieri distinctio, quae quidem ad correptionem iambicam spectet et ad posterioris syllabae quantitatem pertineat. Si qua est differentia, ad priorem syllabam attinet. Hac igitur via de correptione syllabae secundae genetivorum illorum nihil proficimus.

Alterum Skutschii argumentum eo redit quod nihil intersit inter naturam formarum velut *meorum* et ceterorum verborum bacchiacorum naturam. Negat enim Skutschius poetas formas illas magis corripuisse quam cetera verba bacchiaca. Quod autem tanto saepius inveniuntur correptae eo revocat quod poetae facere non potuerint quin formis illis multo saepius uterentur quam ceteris verbis bacchiacis[57]). Ad quae ita respon-

---

55) Cf. Solmsenus Untersuchungen zur griechischen Laut- und Verslehre p. 161 sqq.

56) Cf. Ed. Hermannus Probe eines sprachwissenschaftl. Comm. zu Homer. Hammoniae 1908 p. 179.

57) Haec sunt eius verba (p. 136): 'Aber es kommt daneben für *meorum duobus* usw. noch etwas anderes in Betracht. So häufig die Einzelbelege für die Verkürzung bei diesen Worten sind, die Worte selbst bilden nur einen eng begrenzten Kreis. Wollten wir alle Fälle der Verkürzung von *meorum deorum* usw. immer nur als je einen rechnen und ebenso bei *amicitia pudicitia* usw., so würden wahrscheinlich sich mehr Fälle der letzteren Art ergeben. Dass das Verhältnis jetzt umgekehrt ist, liegt daran, dass man nicht umhin kann, die Worte *meus tuus suus deus duo dies eo scio* so viel

debo ut ipsis numeris evincam formas illas alio loco habitas esse a poetis atque ceteras voces bacchiacas omnes. Ne is quidem qui verborum bacchiacorum secundam syllabam natura longam corripi posse credit formas incorreptas correptis longe praevalere potest negare. Sunt enim talis correptionis exempla in Plauto fere nulla, in Terentio prorsus nulla — exceptis illis formis de quibus quaestio est. Locos autem quibus e. gr. genetivorum *meorum mearum* binae priores syllabae singulas arses vel theses efficiant cum in Muelleri prosodia (p. 274) perlegimus, addito 'etc.' cavetur ne quotquot extent locos omnes ante oculos nos habere putemus. Nec tamen hoc modo edocemur quae sit res. Neque enim hanc mensuram quamvis non infrequentem tamen pro bacchiaca insolitam fuisse prohibemur existimare — quae revera doctorum opinio esse videatur. Haud igitur inutile erit monere rem plane diversam esse. Neque enim usquam aut apud Plautum aut apud Terentium *meorum mearum* pro baccheis usurpantur, neque exstat haec mensura ante Pomponium tragicum, cuius fragmentum ex Atreo servatum (v. 2. p. 267 R.[3]) eam videtur flagitare:

nunc te óbsecro
stírpem ut evolvás meorum ⟨mé⟩que notifices mihi.

Fere idem valet de genetivis pluralis numeri pronominum quae sunt *tuus suus*. Nam praeter Plaut. Poen. 766 *tuórum apud me nemost nec quicquam tui* et Ter. Haut. 225 *nam hic Clínia, etsi is quóque suárum rerum sat agitat tamen* mensura bacchiaca nusquam invenitur. Consimilis condicio est genetivorum *eorum earum*. Neque enim plus quinquies ita usurpantur ut secunda syllaba acuta arsin efficiat (Plaut. Asin. 554 Poen. 1133 Ter. Hec. 15 369 Andr. 694 in creticis). Porro genetivi *deorum* usus alius est in Plauto alius in Terentio. Hic semper (Andr. 959 Haut. 693) mensuram bacchiacam adhibet, ille semel tantum (Most. 712) in creticis; creticos autem versus tam quam bacchiacos quod attinet ad verborum prosodiam magis ex arte quam ex sermonis usu compositos esse

---

häufiger zu gebrauchen als *amicitia pudicitia* und was sonst in Abschnitt III aufgeführt wurde. Hiernach kann gegen die Verkürzungen wie *meŏrum duŏbus* aus ihrer Häufigkeit kein Argument hergeleitet werden.'

identidem vidimus[58]). Est igitur formarum illarum (genetivi *deorum* usum Terentianum in praesens non curo) condicio ea ut sive nusquam sive fere nusquam pro baccheis ponantur. Qua re explorata a Skutschio petimus[58a]) ut ex iis vocibus bacchiacis quarum inter priores syllabas intercedat consona ullum monstret exemplum cuius condicio metrica eadem vel certe similis sit quae illarum formarum. Quod dum fiat formarum illarum binas priores syllabas alia via ac ratione in singulas arses vel theses cogi censebimus atque ceterarum vocum bacchiacarum — siquidem in ceteris vere umquam fit. Quaerentibus autem nobis quae in formis illis priorum syllabarum in arsin vel thesin coeundi fuerit ratio, lux affunditur clarissima inde quod formas illas omnes uno vinculo inter se conexas esse videmus, scilicet hoc unum inter se commune habent quod syllabas priores nulla intercedit consona. Quod cum in illas quoque voces cadat iambicas quas invenimus versuum locis correptionem iambicam repudiantibus — paenultimam dico arsin et ad finem versus et ad diaeresin, septenarii trochaici diaeresin, senarii iambici caesuram, proceleusmaticos — unde harum omnium vocum proprietatis prosodiacae causam repetamus non erimus incerti. Namque synizesi coalescunt vocales, atque synizesis illarum vocum vocales in singulas arses vel theses coegit.

58) Liceat hic subiungere conspectum formarum *duorum duarum duobus duabus.* Genetivi in scaenicis noviens extant, bis pro baccheo: Plaut. Mil. 150 Accius trag. 655 (dubites de Pompon. Atell. 71), dativi sive ablativi sexies pro spondeo sive anapaesto: Plaut. Amph. 568 Bacch. 975 Cas. 1011 Mil. 290 Most. 823 Stich. 540 (dubites de Caecil. com. 10), quinquies pro baccheo: Plaut. Bacch. 675 Mil. 1246 Pers. 684 Poen. 872 Ter. Hec. 393. — Formae *eamus* prosodia vel propter septenarii trochaici exitum *ea͡mus tu* (Stich. 622) proxime ad nos pertinet. En habes numeros locosque: invenitur in Plauto *ea͡mus* undetricies: Amph. 543 Bacch. 105 Capt. 1027 Cas. 422 Curc. 365 670 Epid. 157 Men. 387 422 431 1154 Merc. 1005 1015 Mil. 72 78 1427 1437 Poen. 263 329 491 717 1162 1342 1422 Rud. 1179 1182 Stich. 622 Trin. 1077 Truc. 840, *eámus* pro baccheo ter: Cas. 357 Merc. 1008 Poen. 502; in Terentio *ea͡mus* ter: Phorm. 562 1054 Eun. 377, *eámus* terdecies: Andr. 171 556 Haut. 432 Eun. 380 459 506 612 613 Phorm. 102 103 809 Ad. 278 601.

[58a) Ad haec non iam responsurum esse virum doctissimum, cuius praematurae mortis nunc ipsum cum plagulas corrigo adfertur nuntius, dolebit cuicumque hae res cordi sunt.]

De synizesi his proximis annis multum disputarunt docti. Erat autem ne inter eos quidem qui eam assumebant concordia; varia enim excogitaverunt, ex quibus nonnulla breviter liceat perstringere. Atque Radfordius quidem (Transactions 36 p. 201) brevem vocalem prioris cum vocali posterioris syllabae ea condicione ut posterioris syllabae vocalis longa sit coalescere statuit. Porro Wallstedtius formarum trisyllabarum, velut *meorum*, synizesin probat (stud. Plaut. p. 73), bisyllabarum fere reicere videtur. Denique Ahlbergius argumento cuidam Skutschii (Sat. Viadr. p. 144 'Synizese in der Hebung ist ein Unding') addictus vocum in thesi collocatarum synizesin accipit, in arsi abnuit (de procel. p. 85 sqq.)[59]. Quae omnia ut ad merum arbitrium ficta nihili sunt. Neque enim minus *meum eam* sim. quam *meo meos meae* sim. iis quibus correptio iambica non admittitur locis poni neque inter arsin et thesin distinctionem fieri vidimus. Skutschius autem hoc quoque contra synizesin protulit quod synizesis a correptione iambica definiri nequeat (Berl. phil. Wochenschr. 1894 p. 266 'wo ist denn nach der Ansicht der Verteidiger der Synizese im einzelnen Fall die Messung *meō*, wo die *mĕŏ* nötig?' Γέρας p. 108 'dieses haltlose Schwanken kann nur aufhören, wenn man sich entschliesst, die Synizesentheorie ganz aufzugeben.' Cf. Sat. Viadr. p. 136 sq.). Quod adversus argumenta certissima quibus synizesin probavimus parum valet. Ea enim ratione qua sola in his rebus aliquid effici potest, scilicet ut quomodo poetae sermonis verba versibus complexi essent subtiliter observaremus, ad synizesin affirmandam pervenimus, alia autem argumenta sive ex doctrina de sonantium natura ('Lautphysiologie' quam vocant nostrates) sive ex labentis aetatis scripturis (velut *so* pro *suo*[60]) sive ex linguarum romanicarum quas dicunt testimonio sumpta, quamvis sint trita, omnia ut dubia sive parum efficacia repudianda sunt. Illam vero quam Skutschius notat ambiguitatem remanere fatemur. Nam, ut uno exemplo defungar, quamvis non sit dubium quin genetivi *duorum* syllabae priores synizesi coaluerint, idem

59) Qua in sententia non firmum eum fuisse loci arguunt in commentatione de correptione iamb. p. 20 ab eo collecti.

60) De *sis sos sas* Ennianis cf. Wackernagelius Kuhnii annal. 24 p. 596 Solmsenus stud. p. 38 sq.

de nominativo sive accusativo *duo* affirmari nequit. De *duo͡decim duo͡deviginti* Plautinis (Epid. 675 Poen. 897) dubites utrum ad synizesin revoces an ad correptionem iambicam eodem modo quo *diŭtinus diŭturnus*[61]), Vergilius vero quin *duo* (Aen. 5, 77) et *duodéna* (georg. 1, 232) pro bisyllabo et quadrisyllabo usurpaverit dubium esse vix potest. Esse autem tum demum horum verborum correptionem inventam parum probabile est. Sed huius ambiguitatis causa est exilitas notitiae nostrae, neque eo quod non omnibus locis inter synizesin et correptionem iambicam disceptare possumus, iis ubi possumus disceptare prohibemur[61a]). Sed quamvis multis locis ambigui haereamus, nec tamen res ita esse comparata videtur ut ne id quidem operae pretium sit quaerere utrum in universum synizesis quam angustissimis an quam latissimis finibus circumscribenda sit. Qua in quaestione aliquantum eo provehimur quod de formarum *meorum mearum* mensura modo investigavimus. Quod ut recte aestimemus, consideremus oportet verba bacchiaca versibus usitatissimis — senarios dico iambicos septenariosque trochaicos — propter caesuram trochaicam quam maxime fuisse apta. Nihilominus poetae scaenici horum verborum formam contractam tanto opere praeferebant ut longe saepius formae spondiacae ultimam ictu efferrent (*meorúm*) quam formam bacchiacam admitterent. Qua in re necessitati cuidam poetas cessisse quin credamus facere nequimus. Necessitas vero illa nulla alia cogitari potest nisi usus sermonis cottidiani. In sermone igitur synizesis vigebat, quem secuti poetae saepissime etiam praeter illos versuum locos correptionem iambicam non admittentes vocales contraxisse putandi sunt.

Quibus autem potissimum condicionibus coaluerunt vocales? Qua de re pauca enucleari possunt, aliqua tamen fortasse quaestio de formarum verbi *ire* mensura instituenda docet. Atque eorum quidem de quibus Muellerus (prosod. p. 456) refert sententia, secundum quam formae *eo eam eas eat eamus eatis eant eunt* synizesin patiantur, ea ex parte falsa est quod neque in *eant* neque in *eatis* umquam vocales coalescunt. De

61) Item pronominis *idem* formae quae sunt *eodem eadem eundem* al. propter bisyllabas *eŏ eă eum* correptae esse possunt ad exemplum vocis *ibidem* sim. 61a) Cf. Leo Plaut. Forsch.[2] p. 350 adn.

singularum vero formarum usu ex hoc conspectu certior fias, quo tamen ut recte utaris, haec oportet animo teneas: quod attinet ad *eo eam*, locos quibus ultima eliditur omisi; quod ad bisyllaba omnia, praeterii nimirum versuum fines diaeresesque, neque eos locos non exclusi quibus *e* — posteriorem brevem arsis solutae efficit, veluti *quó eat*, *út eat*, quae exempla plane similia sunt eorum: *ábeat ádeat*, ubi nec de synizesi nec de correptione iambica quaeri potest; quod ad formam *eamus* pertinet, eos locos quibus eam praecedit breve monosyllabon velut *age* (e. gr. Plaut. Mil. 78 *age eamus ergo.* :: *sequimini satellites*) iisque mensura ambigua est, usque iis exemplis adnumeravi quae vel sine illis plura sunt, id est in Plauto contractis in Terentio distractis.

		coalescunt vocales	distrahuntur vocales
eo	Plaut.	11 ies	5 ies (Aul. 721 Men 96 Merc. 691 Most. 774 Stich. 250)
	Ter.	Hec. 273	—
eunt	Plaut.	6 ies [62])	bis (Capt. 501 Merc. 115)
eam	Plaut.	Mil. 1276	ter (Men. 115 Mil. 1319 Rud. 225)
	Ter.	—	Eun. 305
eas	Plaut.	Merc. 373	quater (Bacch. 104 Cas. 721 Rud. 519 Truc. 129)
eat	Plaut.	ter [63])	ter (Bacch. 576 591 Mil. 1101 (?))
eant	Plaut.	—	ter (Amph. 66 Most. 876 Pers. 352)
eamus	Plaut.	29 ies [64])	ter
	Ter.	ter	13 ies
eatis	Plaut.	—	Bacch. 755
eatur	Ter.	—	Haut. 743
eundum	Plaut.	—	bis (Curc. 6 Merc. 916) [65])
euntem	Ter.	—	Hec. 551

62) Bacch. 1123 1166 Capt. 534 Cist. 37 Poen. 330 Trin. 624.
63) Mil. 1186 Most. 390 Rud. 54.
64) Vide adn. 53.
65) Mil. 359 *pereundum* cum A scribendum videtur.

Quo ex conspectu quod ad Plautum quidem attinet id elucet quanto magis ipsae formae frequententur tanto saepius vocales in singulas arses vel theses cogi. Quod imprimis de *eamus* valet. Cuius formae vocales per synizesin coaluisse vel exitus septenarii trochaici Stich. 622 *e͡amus tu* probat. Rariorum vero formarum trisyllabarum, quae sunt *eatis eatur eundum euntem*, synizesin frustra quaeris. Ea igitur est res ut voces quanto frequentiore in usu sermonis fuerint tanto procliviores ad synizesin patiendam, ideoque eum poetam qui sermoni proxime se applicaverit potissimum contractis formis usum esse concludamus. Et quod ad genetivos *meorum tuorum suorum eorum* pertinet cum usu Plautino convenit Terentianus. Scilicet in his formis tritissimis ne Terentius quidem ab usu sermonis abhorrere voluit; in mensura autem formae quae est *eamus* longius a sermone cottidiano recedere ausus est. Sic genetivi *deorum* synizesin prorsus sprevisse supra (p. 41) eum vidimus, ut etiam vocis quae est *deus* formas bisyllabas pro iambis ponere magis ei quam Plauto placuit[66]).

Talia sunt quae de synizesis ratione ex veterum scaenicorum versibus elici posse videantur.

---

66) Vide Thes. ling. lat. V 886, 46 sqq. De vocis *deus* usu in universum recte dixit Radfordius Transactions 36, 181, 1: the trite use of the word in oath, adjurations, and emotional language in general.

3 0112 126250809